

Ab 1780. die 29<sup>er</sup> Aug  
Componit hic Lider ex Cordali  
Helebaurianus ex obz. Pf 1 x 30

# BREVIARIUM SÆCULARIUM,

SIVE  
PIÆ PRECES  
CULTUI DIVINO,

MAGNÆ UNGARORUM

D O M I N Æ,

*Iosephus ac Yacovij*  
S A N C T O R U M


P A T R O N O R U M

HONORIBUS CONCINNATÆ.



CASSOVIAE,

Typis Accademicis S. J. M. DCC. LVIII.




# AD LECTOREM.



Iber hic Selectarum precum, magna  
sui parte idem est, qui paucos ante annos, primam Lucem aspexit.  
Parte sui aliqua non idem: quia &  
ordinem magis digestum accepit, &  
magnō (ut dicimus) Magnæ Ma-  
ris, Beatissimæ Virginis Mariæ Officio auctus est.  
Dicit te primum ad DEUM tuum Optimum, Maxi-  
mum: ut illum, unum in essentia; Trinum in Per-  
sonis adores semper, Laudes, & venereris. Dicit Te  
dein ad Matrem Gratiarum, Virginem Beatissimam:  
ut illam filiali affectu colas, ad illam, ut Matrem,  
plena cum fiducia recurras. Dicit denique ad Cæli  
Indigetes: ut eorum intercessionem, pro tua, aliorum-  
que salute, assiduè implores. **BREVIARIUM**  
**SÆCULARIUM**, pro titulo præfert: ut quem-  
admodum Sacris Ordinibus initiati, vel Choro affixi,  
suo ex Officio; tu etiam ex hoc, quotidie pro pietate tua  
aliquid DEO, & Cælitibus dependas. Fruere igitur  
Lector Benevole Opusculo hoc. arma salutis tuo  
studium; Ejus etiam, Cujus expensis recusum est,  
momento. Vale.

DE



# DE ANNO ET EJUS PARTIBVS.

**A**Nnus menses habet duodecim, hebdomadas duas & quinquaginta, & diem unam, dies vero trecentos sexaginta quinque & fere sex horas; tanto enim temporis intervallo Sol Zodiacum perlustrat. Quater autem sex horae singulis quaternis annis diem constituunt; hinc annus ille intercalaris. Bissexturnus, vel Bissextilis dicitur.

*De Anni correctione, ejusque necessitate, ac Calendario Gregoriano.*

**Q**Uod dictum est, Annū continere trecentos & sexaginta quinque dies, & ferē sex horas, intelligendum est, sex horas non esse integras, cùm ad earum complementum aliqua minuta deficiant.

Ex quorum minutorum neglectu progressum est, ac si annus ultra dies 365. contineret integras sex horas, & factum est, ut minuta quæ ultra debitam quantitatem annis singulis tribuebantur, tractu temporis ita excreverint, ut invicem juncta constituerint dies decem, qui causam dederunt, ut Æquinoctium vernum sedem suam mutaverint.

Cui malo occurrens Gregorius XIII. non nullum Æquinoctium vernum restituit in pristinam sedem, à qua jam à Concilio Nicæno, decem circa

citer diebus in anno correctionis 1582. præcedendo recesserat, quod à Concilio ad XII. Kal. Aprilis fuerat constitutum, & XIV. Lunam Paschalem suo in loco reposuit, sed viam quoque tradidit, & rationem, quâ cavetur, ut imposterum & Æquinoctium vernum, & XIV. Luna Paschalis, à propriis sedibus nunquam removerentur.

Ut enim Æquinoctium vernum ad duodecimum Kalendas Aprilis restitueretur, statuit, ut dicti decem dies in mense Octobri ipsius anni 1582. eximerentur, ut post quartum diem Octobris Sancto Francisco sacram, sequens dies non esset quinta, sed decima quinta Octobris. Et ita error, qui in præteritorum tot annorum circulis irrepserat, in momento temporis fuit correctus.

Ut autem impostorum idem error vitaretur, ne à XII. Kalend. Aprilis Æquinoctium vernum recederet, statuit idem Gregorius, Bissextum quarto quoque anno (ut mos est) continuari debere, præterquam in centesimis annis, qui quamvis Bissextiles antea semper fuerint, qualem etiam esse voluit annum 1600. anno correctionis proximum; post eum tamen, qui deinceps consequentur, centesimi non omnes Bissextiles essent, sed in quadringentis quibusque annis primi quique tres centesimi sine Bissexto transigerentur; quartus vero quisque centesimus esset Bissextilis, ita ut annus 1700. 1800. 1900. Bissextiles non sint, anno vero 2000. more consueto, dies Bissextus intercaletur Februario dies 29. continente; idemque ordo intermittendi, intercalandique Bissextum diem in quadringentis quibusque annis perpetuo conservaretur.

TA.

# TABULA TEMPORALIA.

Anni Dni.	Lit. Dō	Septua- gesima.	Dies Ci- nerum.	Pascha.
1758	A	22 Jan.	8 Feb.	26 Mar.
1759	g	11 Feb.	28 Feb.	15 Apr.
1760	f e	3 Feb.	20 Feb.	6 Apr.
1761	d	18 Jan.	4 Feb.	22 Mar.
1762	c	7 Feb.	24 Feb.	11 Apr.
1763	b	30 Jan.	16 Feb.	2 Apr.
1764	A g	19 Feb.	7 Mar.	22 Apr.
1765	f	3 Feb.	20 Feb.	7 Apr.
1766	e	26 Jan.	12 Feb.	30 Mar.
1767	d	15 Feb.	4 Mar.	19 Apr.
1768	c b	31 Jan.	17 Feb.	3 Apr.
1769	A	22 Jan.	8 Feb.	26 Mar.
1770	g	11 Feb.	28 Feb.	15 Apr.
1771	f	27 Jan.	13 Feb.	31 Mar.
1772	e d	16 Feb.	4 Mar.	19 Apr.
1773	c	7 Feb.	24 Feb.	11 Apr.
1774	b	30 Jan.	16 Feb.	3 Apr.
1775	A	12 Feb.	1 Mar.	16 Apr.
1776	g f	4 Feb.	21 Feb.	7 Apr.
1777	e	26 Jan.	12 Feb.	30 Mar.
1778	d	15 Feb.	4 Mar.	19 Apr.
1779	c	31 Jan.	17 Feb.	4 Apr.
1780	b A	23 Jan.	9 Feb.	26 Mar.
1781	g	11 Feb.	28 Feb.	15 Apr.

# FESTORUM MOBILIUM.

<b>Ascensio.</b>	<b>Penteco- stes.</b>	<b>Corporis Christi.</b>	<b>i. Domin. Adventus.</b>
4 Maji.	14 Maji.	25 Maji.	3 Decem.
24 Maji.	3 Junii.	14 Junii.	2 Decem.
15 Maji.	25 Maji.	5 Junii.	30 Nov.
30 April.	10 Maji.	21 Maji.	29 Nov.
20 Maji.	30 Maji.	10 Junii.	28 Nov.
12 Maji.	22 Maji.	2 Junii.	27 Nov.
31 Maji.	10 Junii.	21 Junii.	2 Dec.
16 Maji.	26 Maji.	6 Junii.	1 Dec.
8 Maji.	18 Maji.	29 Maji.	30 Nov.
28 Maji.	7 Junii.	18 Junii.	29 Nov.
12 Maji.	22 Maji.	2 Junii.	27 Nov.
4 Maii.	14 Maji.	25 Maji.	3 Dec.
24 Maji.	3 Junii.	14 Junii.	2 Dec.
9 Maji.	19 Maji.	30 Maji.	1 Dec.
28 Maji.	7 Junii.	18 Junii.	29 Nov.
20 Maji.	30 Maji.	10 Junii.	28 Nov.
12 Maji.	22 Maji.	2 Junii.	27 Nov.
24 Maji.	4 Junii.	15 Junii.	3 Dec.
16 Maji.	26 Maji.	6 Junii.	1 Dec.
8 Maji.	18 Maji.	29 Maji.	30 Nov.
28 Maji.	7 Junii.	18 Junii.	29 Nov.
13 Maji.	23 Maji.	3 Junii.	28 Nov.
4 Maji.	14 Maji.	25 Maji.	3 Dec.
24 Maji.	3 Junii.	14 Junii.	2 Dec.

JANUARIUS. *Habet dies XXXI. Lunaverð 29.*

A	Kal.	1	Circumcisio Domini.
b	IV.	2	Macarii Alexandrini.
c	III.	3	Genovefæ Vir.
d	Prid.	4	Rigoberti Episc.
e	Nonæ.	5	Telesphori Pap. & Mart.
f	VIII.	6	Epiphania Domini.
g	VII.	7	Raymundi Confessoris.
A	VI.	8	Laurent. Justin. Erhardi Episc.
b	V.	9	Juliani Mart.
c	IV.	10	Martiani Conf.
d	III.	11	Hygini Pap. & Mart.
e	Prid.	12	Ernesti Episc.
f	Idib.	13	Godefredi Comitis.
g	XIX.	14	Hilarii Confessoris.
A	XVIII.	15	Pauli primi Eremitæ.
b	XVII.	16	Marcelli Pap. & Martyris.
c	XVI.	17	Antonii Abbatis.
d	XV.	18	Cathedra S. Petri Romæ.
e	XIV.	19	Marii, & Martæ, & So: vel Ge.V.
f	XIII.	20	Fab. Seb. MM. Sol in Aquario.
g	XII.	21	Agnetis V. & M.
A	XI.	22	Vincentii, & Anastasii MM.
b	X.	23	Joan. Eleem. Emeren. V. & M.
c	IX.	24	Timothei Episc. & M.
d	VIII.	25	*Conversio S. Pauli Apostoli.
e	VII.	26	Polycarpi Episc. & M.
f	VI.	27	Joan. Chrysost. Episc. & Conf.
g	V.	28	Margaritæ V. R. V. F. & Caroli
A	IV.	29	Constantini Ep. & M. (Magni.
b	III.	30	Adelgundis Virg.
c	Prid.	31	Marcellæ Viduæ.

FEBRU.

FEBRUARIUS. *Habet dies XXVIII. Luna verò 20.*

d	Kal.	1	Ignatii Ep. & M. S. Brigitæ V.
e	IV.	2	Purificatio B. V. M. S. Cornel.
f	III.	3	Blasii Episc. & Mart.
g	Pridie.	4	Christiani Conf.
A	Nonæ.	5	Agathæ V. & M. Trium M. S. J.
b	VIII.	6	Doroth. V. & M. Amandi Episc.
c	VII.	7	Romualdi Abb. Richardi Regis.
d	VI.	8	Joannis de Matha.
e	V.	9	Apolloniæ V. & M.
f	IV.	10	Guilielmi Conf. Scholasti. V.
g	III.	11	Victoriæ V. & M.
A	Pridie.	12	Antonii Ep. Eulaliæ V. & M.
b	Idib.	13	Jordani Conf. Tranquili M.
c	XVI.	14	Valentini Presb. & M.
d	XV.	15	Faustini & Jovitæ MM.
e	XIV.	16	Nicephori M. Julianæ V. & M.
f	XIII.	17	Sabini Episc. Juliani Mart.
g	XII.	18	Simeonis Ep. & M.
A	XI.	19	Conradi Placentini Conf. Sol in
b	X.	20	Eleuterii Epif. Piscibus
c	IX.	21	Maurit. & Soc. M. M. Eleon. V.
d	VIII.	22	Cathedra S. Petri Antioch.
e	VII.	23	Nicolai Conf. Vigilia.
f	VI.	24	*Matthiæ Apostoli.
g	V.	25	Victorini M. Tarasii Ep.
A	IV.	26	Porphyrii Episc.
b	III.	27	Athanasiæ.
c	Pridie.	28	Lupicini & Romani Conf.

Anno Bisexto additur unus dies, & fit mensis dierum 29.  
 sed festum S. Matthiæ celebratur die 25. & runc dicitur bis,  
 Sexto Kal. hoc est. 24. & 25. die mensis. Et sic litera Domi-  
 nical. mutatur in precedens; ut si fuit A. mutatur in G. si fuit  
 F. in E. &c.

MARTIUS. *Habet dies XXXI. Luna vero 29.*

d	Kal.	1	Schwiberti Episc..
e	VI.	2	Simplicii Papæ.
f	V.	3	Kunegundis Augustæ V.
g	IV.	4	Casimiri Confessoris.
A	III.	5	Adriani M. & Friderici Conf.
b	Pridie.	6	Coletæ Virginis.
c	Nonæ.	7	Thomæ de Aquino.
d	VIII.	8	Philemonis M. Joannis DEI.
e	VII.	9	Quadrag. M. Franc. Vid. Rom.
f	VI.	10	Quadrati M.
g	V.	11	Constant. Conf. & Xav. S. J.
A	IV.	12	Gregorii P.&C. Canoniz. SS. Ign.
b	III.	13	Rosinæ.
c	Pridie.	14	Petri Abbatis.
d	Idib.	15	Longini M.
e	XVII.	16	Heriberti Episc.
f	XVI.	17	Gertrud. V. Patric. Ep. & Conf.
g	XV.	18	Cyrilli Ep. Edvardi M.
A	XIV.	19	Josephi Sp. B. V. M. (Ariete.
b	XIII.	20	Joah. Conf. Pat. B. M. V. Solin
c	XII.	21	Benedicti Abb.
d	XI.	22	Catharinæ Suecæ V.
e	X.	23	Othonis Conf.
f	IX.	24	Simeon, Trid. M. Gabr. Arch.
g	VIII.	25	<b>Annuntiatio B. M. V.</b>
A	VII.	26	Ludgeri Episcopi.
b	VI.	27	Ruperti Episc.
c	V.	28	Gunstrami Episc.
d	IV.	29	Mechtildis Virginis.
e	III.	30	Reguli Ep.
f	Pridie.	31	Beniamini M. Balbinæ M.

APRI-

**APRILIS.** *Habet dies XXX. Luna verò 30.*

<b>g</b>	Kal.	<b>1</b>	Hugonis Ep. Walerici Abbatis.
<b>A</b>	IV.	<b>2</b>	Francisci de Paula Conf.
<b>b</b>	III.	<b>3</b>	Richardi Episc.
<b>c</b>	Pridie.	<b>4</b>	Josephi Hermani Conf.
<b>d</b>	Nonæ.	<b>5</b>	Vincentii Ferrerii Conf.
<b>e</b>	VIII.	<b>6</b>	Guilielmi Conf.
<b>f</b>	VII.	<b>7</b>	Alberti Conf.
<b>g</b>	VI.	<b>8</b>	Dionysii Episc.
<b>A</b>	V.	<b>9</b>	Mariæ Ægyptiacæ.
<b>b</b>	IV.	<b>10</b>	Macarii Patriarch.
<b>c</b>	III.	<b>11</b>	Leonis Pap. & Conf.
<b>d</b>	Pridie.	<b>12</b>	Julii Pap. Alferici Abb.
<b>e</b>	Idib.	<b>13</b>	Hermenegildi M. Justini M.
<b>f</b>	XVIII.	<b>14</b>	Tiburt. Vale. & Maximi M.M.
<b>g</b>	XVII.	<b>15</b>	Lidwinæ V.
<b>A</b>	XVI.	<b>16</b>	Calisti M. Joachimi Conf.
<b>b</b>	XV.	<b>17</b>	Rudolphi M. Aniceti Pap. & M.
<b>c</b>	XIV.	<b>18</b>	Urs mari Conf.
<b>d</b>	XIII.	<b>19</b>	Antoniæ V. & M. Theod. M.
<b>e</b>	XII.	<b>20</b>	Agnetis Polit. V. Sol in Tauro.
<b>f</b>	XI.	<b>21</b>	Anselmi Episc.
<b>g</b>	X.	<b>22</b>	Soteris & Caji M. M.
<b>A</b>	IX.	<b>23</b>	* Adalberti Episc. & M.
<b>b</b>	VIII.	<b>24</b>	* Georgii M.
<b>c</b>	VII.	<b>25</b>	Marci Evangel.
<b>d</b>	VI.	<b>26</b>	Cleti & Marcellini P. P. & M. M.
<b>e</b>	V.	<b>27</b>	Sitæ Virg.
<b>f</b>	IV.	<b>28</b>	Vitalis M.
<b>g</b>	III.	<b>29</b>	Petri M.
<b>A</b>	Pridie.	<b>30</b>	Catharinæ Senensis V.

**MAJUS**

MAJUS. *Habet dies XXXI. Luna verb. 30.*

d	Kal.	1	*Philippi & Jacobi Ap. Sigismund.
c	VI.	2	Athanasi Ep. & Conf.
d	V.	3	*Inventio S. Crucis.
e	IV.	4	Monicæ Viduæ, Floriani M.
f	III.	5	Gotthardi Episc.
g	Pridie.	6	Joannis ante portam latinam.
<b>A</b>	Nonæ.	7	Stanislai Episc. & M.
b	VIII.	8	Apparitio S. Michaël Archan.
c	VII.	9	Gregorii Nazianzeni Ep.
d	VI.	10	Antonini Episc.
e	V.	11	Beatricis Virg.
f	IV.	12	Pancratii Mart.
g	III.	13	Alexandri M.
<b>A</b>	Pridie.	14	Victoris & Coronæ M. M. Bon. M.
b	Idib.	15	Isidori Mart.
c	XVII.	16	Ubaldi Ep. Conf
d	XVI.	17	Torpetis M.
e	XV.	18	Erici Reg. M. (Paup.
f	XIV.	19	Pudent. V. Ivon. C. Advocati
g	XIII.	20	Bernard. Senen. (in Geminis.
<b>A</b>	XII.	21	Sinesii & Theopompi M. M. Sol
b	XI.	22	Juliæ M. Basilisci M.
c	X.	23	Desiderii Ep. Junioris.
d	IX.	24	Joannæ Matron. Simeon. Styltæ
e	VIII.	25	Urbani Pap. & M.
f	VII.	26	Eleuterii Pap. & M.
g	VI.	27	Joannis Pap. & M.
<b>A</b>	V.	28	Germani Ep. Parif.
b	IV.	29	Theodosiæ M.
c	III.	30	Felicis Pap. & M.
d	Pridie.	31	Petronillæ V.

JUNI.

JUNIUS. *Habet dies XXX. Luna verò. 28.*

e	Kal.	1	Simeonis Conf.
f	IV.	2	Erasmi Ep. Marcel. & Soc. M.M.
g	III.	3	Clotildis Reginæ.
A	Pridie.	4	Optati Ep. Gualteri Conf.
b	Nonæ.	5	Bonifacii Ep. & M.
c	VIII.	6	Norberti Ep. & Conf.
d	VII.	7	Roberti Abbatis.
e	VI.	8	Medardi Ep. & M. Victori. Conf.
f	V.	9	Primi, & Feliciani M. M.
g	IV.	10	Onuphrii Eremitæ.
A	III.	11	Barnabæ Apost.
b	Pridie.	12	Basilidis, & Soc. M. M.
c	Idib.	13	Antonii de Pad. Ferdin. C.
d	XVIII.	14	Basilii Magni Ep. & Conf.
e	XVII.	15	Viti, Modesti, atque Cresc. M. M.
f	XVI.	16	Bertholdi Conf.
g	XV.	17	Adolphi Ep.
A	XIV.	18	Marci & Marcellianii M. M.
b	XIII.	19	Gervasii, & Protasii M. M.
c	XII.	20	Silveri Pap. & M.
d	XI.	21	Aloysii Conf S. J. Sol in Cancro.
e	X.	22	Achatii M. Paulini Ep. & Conf.
f	IX.	23	Sidoniae V. Vigilia.
g	VIII.	24	*Nativitas S. Joannis Bapt.
A	VII	25	Febroniæ V. & M. Gallicani M.
b	VI.	26	Joannis, & Pauli M. M.
c	V.	27	Ladislai Conf. Regis Hung.
d	IV.	28	Leonis. Pap. & Conf. Vigilia.
e	III.	29	Petri, & Pauli Apost.
f	Pridie.	30	

JULI-

JULIUS. *Habet dies XXXI. Luna vero 29.*

<b>A</b>	<b>g</b>	Kal.	1	Eberhardi Ep.
	<b>b</b>	VI.	2	*Visitatio B. V. M.
	<b>c</b>	V.	3	Heliodori Ep.
	<b>d</b>	IV.	4	Udalrici Episc.
	<b>e</b>	III.	5	Wilhelmi Abb.
	<b>f</b>	Pridie.	6	Godolevæ M.
	<b>g</b>	Nonæ.	7	Wilibaldi Episc. (Soc. M.
<b>A</b>	<b>g</b>	VIII.	8	Elisab. Reg. Portug. Kiliani cum
	<b>b</b>	VII.	9	Anatoliæ V. & M. Lucretiæ V.
	<b>c</b>	VI.	10	Sept. Fr. M. M. cum S. Fel. Matre.
	<b>d</b>	V.	11	Pii Pap. & M.
	<b>e</b>	IV.	12	Naboris, & Felicis M. M.
	<b>f</b>	III.	13	Margaritæ V. in Hung.
	<b>g</b>	Pridie.	14	Bonav. Ep. & C. Henrici Imp.
<b>A</b>	<b>g</b>	Idib.	15	Divisio Apostolorum.
	<b>b</b>	XVII.	16	Fausti M. Vitaliani Ep.
	<b>c</b>	XVI.	17	Alexii C. Andr. & Bened. M. M.
	<b>d</b>	XV.	18	Syphorosæ cum VII. Fil. M.M.
	<b>e</b>	XIV.	19	Arsenii Conf.
	<b>f</b>	XIII.	20	Marg. V. & M. in Ger. Eliæ Pro.
	<b>g</b>	XII.	21	Danielis Proph. Sol in Leone.
<b>A</b>	<b>g</b>	XI.	22	*Mariæ Magdalenaæ.
	<b>b</b>	X.	23	Apollinaris Ep. & M.
	<b>c</b>	IX.	24	Christinæ V. & M. Vigilia.
	<b>d</b>	VIII.	25	*Jacobi Apost. Christoph. M.
	<b>e</b>	VII.	26	*Annæ Matris B. M. V.
	<b>f</b>	VI.	27	Pantaleonis M.
	<b>g</b>	V.	28	Innocentii Pap. & M.
<b>A</b>	<b>g</b>	IV.	29	Marthæ V.
	<b>b</b>	III.	30	Abdon, & Senen. M. M.
	<b>c</b>	Pridie.	31	Ignat. Loyolæ Conf. S. J. Fund.

AUGU-

# AUGUSTUS. *Habet dies XXXI. Luna verò. 30.*

e	Kal.	1	S. Petri ad Vincula. Machab. M.
d	IV.	2	Stephani Pap. & M. Portiun.
e	III.	3	Inventio S. Stephani Protom.
f	Pridie.	4	Dominici Conf.
g	Nonæ.	5	Dedicatio S. Mariæ ad Nives.
A	VIII.	6	* Transfiguratio Domini.
b	VII.	7	Cajetani C. Donati Ep. & M.
c	VI.	8	Cyriaci & Soc. M. M.
d	V.	9	Romani M. Vigilia.
e	IV.	10	* Laurentii. M.
f	III.	11	Tiburtii, & Susannæ M. M.
g	Pridie.	12	Claræ V.
A	Idib.	13	Hippoliti & Cassiani M. M.
b	XIX.	14	Eusebii Conf. Athan. Vid. Vigila.
c	XVIII.	15	Assumptio B. M. V.
d	XVII.	16	Rochi, & Hyacinti Conf.
e	XVI.	17	Sibyllæ Virg.
f	XV.	18	Helenæ Mat. Conft. Mag. Imp.
g	XIV.	19	Ludovici, Tholosani Episc.
A	XIII.	20	Stephani Reg. Hung. Bern. Abb.
b	XII.	21	Anastasii M. & Fidelis M.
c	XI.	22	Timothei & Soc. M. M.
d	X.	23	Philippi Ben. Vig. Sol in Virgin.
e	IX.	24	* Bartholomæi Apost.
f	VIII.	25	Ludovici Regis. Franc. Conf.
g	VII.	26	Zephyrini Pap. & M.
A	VI.	27	Cæsarii Episc.
b	V.	28	Augustini Ep. & Conf.
c	IV.	29	Decolatio S. Joan. Ba. Sabinæ V.
d	III.	30	Felicis. & Adaucti M. M.
e	Pridie.	31	Raimundi Nonnati Conf.

SEP.

SEPTEMBER. *Habet dies XXX. Luno verò 29.*

f	Kal.	1	Ægidii Abb.
g	IV.	2	Jodoci Episc. Angeli Cust.
A	III.	3	Mansueti Ep. Alberti Conf.
b	Pridie.	4	Rosæ V. Rosaliæ V.
c	Nonæ.	5	Victorini M. Eudoxii M.
d	VIII.	6	Magni Abb. Zachariæ Proph.
e	VII.	7	Reginæ V. & M.
f	VI.	8	Nativitatis B. M. V.
g	V.	9	Gorgonii M.
A	IV.	10	Nicolai de Tolentino Conf.
b	III.	11	Hyacinthi M. Patientis Ep.
c	Pridie.	12	Guidonis Conf. & Tobiæ.
d	Idib.	13	Mauritii Ep.
e	XVIII.	14	*Exaltatio S. Crucis.
f	XVII.	15	Hildegardis V. Nicomedis M.
g	XVI.	16	Euphemiae Virg.
A	XV.	17	Stigmatum S. Franc. Lamb. Ep.
b	XIV.	18	Thomæ à Vilanova. (S.S.M.M.
c	XIII.	19	Constantiæ V. & M. Jan. Ep. &
d	XII.	20	Eustachii & S.S.M.M. Vigilia.
e	XI.	21	*Matthæi Ap. & Evan. Jonæ Pro.
f	X.	22	Maurit. & Soc. M.M. Sol in Libra.
g	IX.	23	Teclæ V. & M. Lini P. M.
A	VIII.	24	Gerardi Ep. & M.
b	VII.	25	Cleophæ Disc. Christi.
c	VI.	26	Cypriani, & Justinæ M.M.
d	V.	27	Cos. & Dam. M.M. Elzea, Con.
e	IV.	28	Wenceslai M.
f	III.	29	*Dedic. S. Michaëlis Archang.
g	Pridie.	30	Hieron. Presb. C. & Eccl. Do.

OCTO-

OCTOBER. *Habet dies XXXI. Luna verò 30.*

A	Kal.	1	Remigii Ep. Nicetii Ep.
b	VI.	2	Leodegarii Ep. & M-
c	V.	3	Simplicii Conf.
d	IV.	4	Francisci Conf.
e	III.	5	Placidi, & Soc. M. M.
f	Pridie.	6	Brunonis Conf.
g	Nonæ.	7	Marci Pap. Conf.
A	VIII.	8	Brigittæ Vid. Pelagiæ pœnit.
b	VII.	9	Dionysii & Soc. M. M.
c	VI.	10	Franc. Borg. C. S. J. Theoph. C.
d	V.	11	Jacobi Allemanni Conf.
e	IV.	12	Maximiliani Ep. & M.
f	III.	13	Colmanni M.
g	Pridie.	14	Calisti Pap. M.
A	Idib.	15	Theresiæ V. Hedvigis Ducissæ.
b	XVII.	16	Galli Abb.
c	XVI.	17	Andreæ M.
d	XV.	18	Lucæ Evang.
e	XIV.	19	Petri de Alcant. Ferdin. Ep.
f	XIII.	20	Caprasii M.
g	XII.	21	Ursulæ & Soc. M. M.
A	XI.	22	Cordulæ V. & M.
b	X.	23	Severini Ep. M. Sol in Scorpion.
c	IX.	24	Proclæ Ep. Crispini Conf.
d	VIII.	25	Chrysanthi & Dariæ M. M.
e	VII.	26	Demetrii M.
f	VI.	27	Sabinæ Virg. Vigilia.
g	V.	28	* Simonis & Judæ Apost.
A	IV.	29	Narcissi Episc.
b	III.	30	Marcellini M.
c	Pridie.	31	Wolffgangi Episc. Vigilia.

NOVEM-

**NOVEMBER. Habet dies XXX. Luna verbi 29.**

d	Kal.	1	Omnium Sanctorum.
e	IV.	2	Commemor. Omn. Fidel. Defun.
f	III.	3	Huberti Ep.
g	Pridie.	4	Caroli Boromæi Ep. Conf.
A	Nonæ.	5	Emerici Conf.
b	VIII.	6	Leonardi Conf.
c	VII.	7	Engelberti Ep.
d	VI.	8	IV. Coronat. M. M. Godefr. M.
e	V.	9	Dedic. Basil. Salva. Eustoliae V.
f	IV.	10	Triphonis M.
g	III.	11	* Martini Episc.
A	Pridie.	12	Martini Pap. M.
b	Idib.	13	Stanislai Kost. S. J. Homoboni.
c	XVIII.	14	Serapionis M.
d	XVII.	15	Leopoldi Conf.
e	XVI.	16	Edmundi Conf.
f	XV.	17	Gregorii Thaum.
g	XIV.	18	Dedic. Basil. Petri & Pauli.
A	XIII.	19	* Elisabeth Viduae in Hungaria.
b	XII.	20	Felicis de Valois Corbin. Ep.
c	XI.	21	Præsentatio B. M. V.
d	X.	22	Cæcil. V. & M. Sol in Sagittario.
e	IX.	23	Clementis Pap. M.
f	VIII.	24	Chrysogoni M.
g	VII.	25	* Catharinae V. & M.
A	VI.	26	Conradi Ep.
b	V.	27	Facundi Ep.
c	IV.	28	Rufini M.
d	III.	29	Saturnini M. Vigilia.
e	Pridie.	30	* Andreæ Apost.

**DECEM-**

**DECEMBER.** *Habet dies XXXI. Luna verò 30.*

f	Kal.	1	Eligii Ep.
g	IV.	2	Bibianæ V. M.
A	III.	3	Francisci Xaverii Conf. S. J.
b	Pridie.	4	Barbaræ V. M.
c	Nonæ.	5	Placidi M. Sabæ Abb.
d	VIII.	6	Nicolai Episc. & Conf. (Austr.
e	VII.	7	Ambr. Ep. C. & Eccl. D. Vig. in
f	VI.	8	<b>Conceptio B. M. V.</b>
g	V.	9	Leocadiæ V. & M.
A	IV.	10	Melchiadis Pap. Judithæ.
b	III.	11	Damasi Pap. Conf.
c	Pridie.	12	Synefii M.
d	Idib.	13	Luciæ V. M.
e	XIX.	14	Nicasii Ep.
f	XVIII.	15	Irenæi M.
g	XVII.	16	Albinæ V. M.
A	XVI.	17	Lazari Episc. Conf.
b	XV.	18	Gratiani Ep. Modesti Ep.
c	XIV.	19	Nemesii M.
d	XIII.	20	Theophili M. <b>Vigilia.</b>
e	XII.	21	* Thomæ Apost.
f	XI.	22	Zenonis M. <b>Sol in Capricorno.</b>
g	X.	23	Victoriæ V. M.
A	IX.	24	Adam & Evæ. <b>Vigilia.</b>
b	VIII.	25	Nativitas D. N. J. C
c	VII.	26	* Stephani Protom.
d	VI.	27	* Joannis Apost. Evang.
e	V.	28	* Innocentium M. M.
f	IV.	29	Thomæ Ep. M.
g	III.	30	David Regis
A	Pridie.	31	Silvestri Pap. Conf.

*Ex quot diebus constet unusquisque Mensis.*

**T**riginta Aprilis. Junius, Septémque, Novémque;  
Uno plus alii, viginti Februus Octo:  
At si bis sextus fuerit, superadditur unus,  
Et tunc bis sexto Marti conscribe Kalendas.

*De numero Nonarum, ac Iduum Singulorum Mensium.*

**S**Ex Nonas Majus, October; Julius & Mars,  
Quatuor at reliqui, dabit Idus quilibet Octo,  
Et notandum, primo quoque die mensis dicendum  
Kalendis, quinto, Nonis; decimotertio, Idibus; ubi  
Nonæ quatuor: ubi verò sex, septimo, Nonis:  
decimoquinto, Idibus in casu sexto. Reliquis au-  
tem diebus, pridie, tertio, quarto Kalendas, aut  
Nonas, aut Idus, in casu quarto, retrorsum nume-  
rando usque ad eam diem, quo aut Kalendis, aut  
Nonis, aut Idibus, dicimus; quod apud probatis-  
simos quosque licet intueri:

*Quando inchoatur Adventus Domini?*

**A**dventus Domini inchoatur Dominica proxi-  
miori festo Sancti Andreæ, vel ipsâ die S.  
Andreæ, si in Dominicam incidat.

*Quatuor Tempora.*

**Q**uartuor Tempora celebrantur quartâ, & sex-  
tâ Feriâ, ac Sabbatho post tertiam Dominicam  
Adventûs, post primam Dominicam Quadra-  
gesimæ, post Dominicam Pentecostes, post Fe-  
stum Exaltationis S. Crucis.

*Nuptiæ juxta decretum Consilii Tridentini.*

**A**Dominica prima Adventûs usque in diem Epi-  
phaniæ, & à Feria quarta Cinerum usque Octa-  
vam Paschatis inclusivè, sancta Synodus solemnita-  
tes nuptiarum prohibet; in aliis verò temporib[us]  
nuptias solemniter celebrari permittit.

PRE-



# PRECES MATUTINÆ,



J. M. J.

**A**dorō te Sanctissima Trinitas unus DEUS, Pater, Fili, & Spiritus Sancte. Ago tibi maximas gratias, quod me hac nocte protexeris, & ad principium hujus diei incolumen perduxeris. Et quia te, tanquam summum bonum meum, & omni amore dignissimum amo super omnia, offero tibi in unione vitæ, Passionis, mortis, ac meritorum JESU Christi, B. V. MARIAE, & omnium Sanctorum, quidquid ab hoc tempore cogitabo, loquar, agam, & patiar, omnes meos gressus, suspiria, anhelitus, aliisque corporis, &

A animæ

animæ motus, tanquam continua mei er-  
ga te amoris indicia : ad majorem glori-  
am tuam, in honorem JESU Christi, B.  
V. MARIAE S. Angeli Custodis SS. NN.  
Patronorum meorum. 1. In gratiarum  
actionem pro universis beneficiis tuis 2.  
Pro vivis, & defunctis, quorum, ut me-  
mor sim, vis, aut me quomodo cunque  
obligari scis. 3. In omnimodam & quo-  
ad fieri potest etiam sacramentalem satis-  
factionem pro peccatis meis. 4. Ut omnes  
tum mihi, tum defunctis applicabiles lu-  
crer ingulgentias. 5. Ad impetrandas  
omnigenas gratias, secundum sanctissi-  
mam voluntatem tuam, cui me in omni-  
bus conformare statuo. Amen.

J. N. R. J. Titulus triumphalis de-  
fendat nos ab omnibus malis ; Nos cum  
prole, pia benedicat Virgo Maria. Ego  
in nomine Domini nostri J E S U Christi  
Crucifixi surrexi, & in nomine ejus etiam  
me præcinxii N. N. ille etiam me regat,  
benedicat, custodiat, foveat, visitet, atque  
ab omnibus malis defendat, & dignetur  
me perducere ad vitam æternam. Amen.

# ORA.

# ORATIONES

*Pro variis donis, & gratiis à DEO  
imperrandis.*

Domine DEUS meus, da cordi meo te desiderare, desiderando quærere, quærendo invenire, delicta non iterare. Da Domine DEUS meus cordi meo pœnitentiam, spiritui contritionem, oculis lacrymarum fontem, manibus eleemosynæ largitatem. Rex meus, exstingve in me desideria carnalia, accende ignem tui amoris. Redemptor meus, expelle à me spiritum superbiæ, concede propitius thesaurum humilitatis tuæ. Salvator meus, amove à me furorem iræ, & indulge mihi benignus scutum patientiæ. Creator meus, evelle ex me animi rancorem, & largire mihi mentis dulcedinem. Da clementissime Pater mihi solidam fidem, spem congruam, charitatem continuam. Rector meus, averte à me amorem vanitatum, mentis inconstantiam, cordis vagationem, oris scurrilitatem, oculorum elationem, ventris ingluviem, opprobria proximorum, scelera detractio-  
num, curiositatis pruriginem, divitiarum

cupidinem, potentatum rapinam, inanis gloriæ appetitum, hyppocrisis malum, adulacionis venenum, contemptum inopum, oppressionem debilium, avaritiæ ardorem, invidiæ rubiginem, blasphemiam mortem. Reseca in me Factor meus temeritatem iniquam, pertinaciam, inquietudinem, otiositatem, somnolentiam, pigritiam, mentis hebetudinem, cordis cœcitatem, sensus obstinatiam, morum truculentiam, boni inobedientiam, consilii repugnantiam, linguæ effronitatem, pauperum prædam, impotentum violentiam, innocentum calumniam, subditorum negligentiam; circa domesticos severitatem, adversus familiares impietatem, erga proximos duritiem. DEUS meus, misericordia mea, oro te per dilectum Filium tuum, da mihi misericordiæ opera, pietatis studia; compati afflictis, consulere erroneis, succurrere miseris, subvenire egenis, consolari mœstos, relevare pressos, pauperes recreare, flebiles refovere, dimittere debitoribus, parcere in me peccantibus, odientes me diligere, pro malis bona reddere, neminem despicere, sed honorare; bonos imitari, malos ca vere,

vere, virtutes amplecti, vitia rejicere.  
In adversis patientiam, in prosperis con-  
tinentiam, custodiam oris, & ostium cir-  
cumstantiæ labiis meis ; terrena calcare,  
cœlestia fitire. Amen.

*ORATIO AD SS. TRINITATEM.*

**A**Dore te, ô SS. Trinitas Pater, Filius,  
& Spiritus Sanctus. Ego humilis  
creatura gratias ago tuæ potentiaæ, quâ  
me creâsti ; sapientiaæ, quâ me redemisti ;  
Bonitati, & Misericordiaæ, quâ me usque  
in hanc horam peccatorem ingratissimum  
conservâsti.

Pater æterne, per mortem acerbissi-  
mam, & vitam dilectissimi Filii tui, per  
omnem bonitatèm tuam te rogo : conce-  
de mihi, ut in bono perseverem, & mo-  
riar in gratia tua.

O bone JESU ! per charitatem æterni  
Patris, & ultima in Cruce verba, quibus  
Patri Spiritum commendâsti, te rogo, su-  
scipe spiritum meum in fine vitæ meæ.

Spiritus Sancte Deus, miserere mei;  
Consolator optime, dulcis hospes animæ.  
Veni Pater Pauperum, veni lumen cor-  
dium: lava quod est folidum, riga quod  
est aridum, da perenne gaudium.

O bone JESU, unica dulcedo cordis  
mei, miserere mei, præpara me tibi, ex-  
orna me inopem, effice me secundum cor-  
tuum, & uni me intimè ad majorem glo-  
riam nominis Tui.

O Sanctissima Maria, verè mitis, verè  
pia, præ millibus electa. Sub tuum præ-  
sidium confugimus : O Maria, preces no-  
stras ne despice in hac, & ultima necessi-  
tate. Filio tuo nos reconcilia, nostra  
omnia repræsenta, ô nostræ salutis cau-  
sa ! nostræ fiduciæ scala, Cœli Janua, Ad-  
vocata, & Mater nostra.

Sancte Joseph, S. Joachim, S. Anna, o-  
rate pro me : & vos Sancti Patroni hodi-  
ernæ diei N. N. orate pro me. Sancti  
Patroni omnes, quos singulariter colo,  
veneror, & amo, vos in portu estis, ego  
in mari : ô lucidissima Cœli sydera, illu-  
minate, defendite, custodite, & deduci-  
te me ad beatam æternitatem.

Sancte Michaël Archangele, S. Gabri-  
el orate pro me. Et tu mi Angele Custos  
dilecte, præ omnibus electe, ego tibi uni-  
cus, & tu mihi, ego tuus cliens, tu vigil,  
& custos meus : sed & dæmon vigilat imi-  
cūs meus : sed umbra alarum tuarum pro-  
tege me. Amen.

J. M. J.

J. M. J. Ad sis mihi nunc, vel maximè  
in hora mortis meæ, & propitius esto mi-  
maximo peccatori.

Ave Maria sinè macula concepta, gra-  
tiâ plena, Dominus tecum, tua gratia sit  
mecum, benedicta tu in mulieribus, &  
benedicta sit S. Anna Mater tua, ex qua  
sinè macula, & peccato processisti.

Ave Sanctissima MARIA, Mater DEI,  
Regina Cœli, Porta Paridisi, Domina  
mundi, pura singularis tu es Virgo, tu  
concepisti JESUM, tu peperisti Creatorem,  
& Salvatorem mundi, in quia non dubito,  
libera me ab omni malo, & ora pro pec-  
catis meis. Amen.

**S**ancta MARIA, Sanctissima Omnipo-  
tentis DEI Patris Filia : Mater Christi,  
Sponsa Spiritus Sancti, Spes omnium San-  
ctorum, Cœli Regina, & Paradisi. Mater  
**MARIA**, Speculum, & Sacrum DEI,  
Domina Angelorum, ô Mater JESU, per  
te rogo remissionem peccatorum, ut me  
liberare digneris ab omni periculo mundi,  
diaboli, & carnis, & cum his concede  
mihi adjutorium, & gratiam tuæ miseri-  
cordiæ, & non me respicias à tua sanctissi-  
ma bonitate, & sanctissimis manibus ; &

concede mihi indigno famulo tuo citius  
gratiam tuæ misericordiæ, quatenus ego,  
& omnes Christi fideles tecum in æternis  
gaudiis, & beatitudine dominari, & re-  
gnare mereamur. Per Christum Domi-  
num nostrum. Amen.

**O** Domina mea S. Maria, me in tuam  
bene&tam fidem, ac singularem cu-  
stodiam, & in sinum misericordiæ tuæ ho-  
die, & quotidie, & in hora exitûs mei  
animam meam, & corpus meum tibi com-  
mendo, omnem spem, & consolationem  
meam, omnes angustias, & miseras me-  
as, vitam, & finem vitæ meæ tibi commit-  
to, ut per tuam sanctissimam intercessio-  
neum, & per tua merita, omnia mea diri-  
gantur, & disponantur opera secundum  
tuam, tuique Filii voluntatem. Amen.

Omnes Sancti Patroni, & Patronæ  
meæ, intercedite, & orate pro me. JESUS  
Deus meus propotius esto mihi maximo  
paccatori, & custos sis animæ meæ.

**S**ALUTO te gloriosissima Cœlorum Regi-  
na Virgo Maria, Domina mea clemen-  
tissima, vosque omnes electos animæ meæ  
Patronos N. N. vestræ gloriæ congratu-  
lor,

lor, vestræ misericordiæ, & pientissimæ intercessioni me, & omnia mea commendando. Avete vernantes Cœli flores, & gloriösi Cives Paradisi, gratias ago Domino pro omnibus, quæ in vos contulit ; Sed non est decora laudatio per os peccatoris : Vos itaque ô Patroni mei dulcissimi orate pro me misero peccatore, & plenam mihi impetrare meorum veniam peccatorum, spiritum bonum, ac sanctam gratiam, ut Deo meo perfectè reconciliatus, semper ei placeam, nec unquam in ejus amore deficiam : adeste mihi nunc, & in hora mortis meæ, tunc me benignè consolemini, confortate, & protegite; effcite vestris meritis, ut anima mea tota munda hinc exeat, & ad vitam perveniat æteram. Amen.

Angele Dei, qui Custos es mei, me tibi commissum pietate superna hodie illumina, custodi, rege, & guberna. Amen.

**O** Christe JESU, Redemptor omnium DEUS omnipotens ! in misericordes manus tuas commendo spiritum meum, actus meos, & omnia opera mea tibi committo, ut per tuam sanctissimam passionem non permittas me incidere in laque-

um mortis, sed eripe, & libera me ô bone JESU, & benedic mihi, ut ambulem in via veritatis, & pacis, & non prævaleant inimici mei adversus me; & omnia, quæ fecero, cedant ad majorem nominis tui gloriam, & honorem B. V. MARIAE, Sanctorumque Patronorum. JESUS Christus Rex gloriae venit in pace, DEUS homo factus, & Verbum Caro factum est. Christus vincit, Christus regnat, Christus imperat, Christus ab omni malo nos N. & omnia nostra defendat. Crux Christi salva nos, Crux Christi defende nos, nunc, & in hora mortis nostræ.

**G**ratias ago Domino DEO meo, Santissimæ Matri, Angelo Custodi, Patronis meis N. N. omnibusque Sanctis de nocte hac feliciter transacta, quod mortuus in peccatis non fuerim, sed ad hunc usque diem servatus, ut per fidem, pœnitentiam, ac Christianæ legis opera gratiam DEI mihi conciliem in hoc brevi, & incerto vitæ meæ curriculo. In gratiarum actionem offero me, Domine, totum Divinæ bonitati tuæ, ut de me, meisque omnibus, tanquam de tuis statuas, vitam meam ad tui nominis gloriam dirigas,

rigas, bonis suggestionibus intellectum il-  
lustres, fervore charitatis affectum ad te  
moveas, sensusque, sermones, & actus  
meos ad animæ meæ salutem componas.  
Rogo te Domine, ut hodierna die ab omni  
peccato me custodias, ne cogitatione,  
verbô, & opere, aut negligentia Divi-  
nam Majestatem tuam offendam. Pro-  
pono, Domine, cum Divino tuo auxi-  
lio, hodie peccata omnia vitare, & ma-  
ximè ad quæ sum propensior, deponere:  
actiones, & studia mea ad tuam gloriam  
referre: denique in virtutibus me exer-  
cere, ne dies hic sine bono opere transe-  
at; tu autem ne desis mihi, & gratia tua.  
**Amen.**

**O** Bone JESU, ô clementissime JESU,  
ô misericordissime JESU ! humilli-  
mè tuam sacratissimam Majestatem ro-  
go, benedicere mihi digneris cum Spi-  
ritu Sancto, ut omnia peccata, & eorum  
occasiones vitare possim, & te laudem  
in puritate animi, & sanitate corporis;  
tandem felicem, ac sanctam mortem con-  
cede mihi, ô bone JESU. Iram tuam à  
me averte, ô mitissime JESU, quia nul-  
lus est, qui eam sustinere possit: fac, ne  
despe-

desperem, sed sperando in tua bonitate respirem. Benedixisti mihi in hac vita cum statu ô desideratissime JESU, concede mihi quoque gratiam congruentem respondendi pro gloria tua ; ab omni infamia, & confusione libera me ô DEUS meus. A manibus, odio, & persecutio- ne inimicorum meorum protege, & de- fende me ô benignissime JESU. Conso- latus es me ô dulcissime JESU cum N. N. pro quibus etiam te humillimè oro, ut eos regere, & conservare, Principibus Christianis veram pacem, & concordiam donare digneris ô pacifice JESU, ut te unito corde in Ecclesia tua sancta Catho- lica laudemus. Omnibus fidelibus de- functis, præfertim parentibus, & amicis meis requiem æternam dona, ô miseri- cordissime JESU ; me autem unà cum a- micis meis, & qui indigent, ab omnibus & singulis infortuniis, & tristitiis animæ & corporis, præsentibus, præteritis, & fu- turis, liberare, & conservare digneris, ô JESU amantissime ! suscipe, & exaudi pre- ces meas ô Christe JESU ! & non efficiaris mihi inexorabilis propter peccata mea, sed propter bonitatem tuam suscipe pre- ces

ces servi tui N. & da mihi effectum petitionis meæ, & desiderii mei intercedente B. Virgine MARIA, & S. N. N. P. A. C.

*O R A T I O.*

**S**Acrosanctæ, & individuæ Trinitati, Crucifixi Domini nostri JESU Christi humanitati, Beatissimæ & gloriosissimæ, sempérque Virginis MARIÆ fœcundæ integritati, & omnium Sanctorum universitati, sit sempiterna laus, honor, virtus, & gloria, ab omni creatura, nobisque remissio omnium peccatorum, per infinita sæcula sæculorum. R. Amen.

¶. Beata viscera Maria Virginis, quæ portaverunt æterni Patris Filium:

R. Et beata ubera, quæ lactaverunt Christum Dominum.

Pater noster. Ave Maria.

*Hymnus ad S. Angelum**Custodem.*

**N**Ovō lucis exordiō,  
O Custos mi dulcissime!  
Cœcam mentis caliginem  
Tuo splendore discute;  
Et me divina monita  
Benignus semper edoce.

Meas

Meas preces, & lachrymas  
 Fidus è Cœlo nuncius  
 Quanquam indignas excipe,  
 Et summo Patri tradito,  
 Culpisque meis debitas  
 Supplex poenas avertito.

Afflictum, Clementissime,  
 Favore tuo recrea :  
 Ad virtutis officia  
 Semisopitum excita :  
 Cum Sancto mens in opere  
 Nutarit, promptus adjuva.

Dissolve mentis glaciem,  
 Frange cordis duritiem ;  
 Peccati oppressum onere  
 Præfente manu subleva :  
 A Cœli errantem semita,  
 Ad Cœli viam revoca.

Inviatâ tuâ dexterâ  
 Contunde vires dæmonis ;  
 Carnis retunde fomitem,  
 Mundi frange superbiam ;  
 Ut tuo sub præsidio  
 Victor ab hoste redeam.

Flagellô pigrum excita,  
 Et reluctantem increpa ;  
 Vitæ labentis terminum

In mentem s̄æpe revoca :

In vitæ brevi spatio

Solertiorem facito.

In pugna mortis ultima

Adsis mihi fortissime ;

Peractâ demum fragili

Vitâ, Duxor amabilis

Me protinus æthereis

Infer benignè sedibus.

**V.** Custodi me Angele Dei, ut pupillam  
oculi :

**R.** Sub umbra alarum tuarum protege  
me semper.

*O R E M U S.*

**O** Cœlestis militiæ Spiritus ! rogo te  
ego indignus cliens tuus , ut um-  
brâ tuâ me velis munire ; & quod mea  
non exigunt merita , tuis precibus apud  
altissimum Judicem obtine. Amen.

*COMMENDATIO SUI AD S. ANGE-  
LUM CUSTODEM.*

**B**eatissime mi Angele Custos , ego  
quamvis tuâ sacrâ custodiâ indi-  
gnissimus , impulsus tamen eximiâ cha-  
ritate tuâ , & zelô illô , quem habes erga  
salutem animæ meæ ; eligo te hodie in  
præsentia totius curiæ cœlestis pro sin-  
gulari

gulari Protectore, & Advocato meo, firmitérque propono tibi ad mortem usque fideliter semper obedire. Obsecro te igitur per gloriam illam, quâ in Cœlo jam frueris, ut acceptes hoc propositum meum, & gratum habeas sincerum hunc affectum erga te meum: adsis mihi in omnibus actionibus, cogitationibus, verbis, & operibus meis, ut purissimos oculos tuos nunquam offendam, neque Divinam Majestatem ad justam contra me iram accendam. Adsis mihi semper, ne deseras me in hora mortis meæ. Amen.

### *Oratio ante Missam.*

Clementissime Pater misericordiarum, & DEUS totius consolationis, qui non semel tantum unigenitum Filium tuum in Cruce nostræ reparationi impendiisti, sed ejus oblationem tibi acceptissimam in Ecclesia tua quotidie renovari ad ejus Fructum in nobis renovandum voluisti: tribue nobis, quæsumus; tam admirando huic, & tam salutari tuæ pietatis mysterio sic attentè, reverenter, & amanter interesse, ut ejus participacionem quam efficacissimè conlequi valeamus.

mis. Per eundem Dominum nostrum JESUM Christum Filium tuum, qui tecum vivit, & regnat in unitate Spiritus Sancti DEUS, per omnia saecula saeculorum. Amen.

## *Praeterea Sacrû Missæ Officiô.*

**P**ater Cœlestis, Pater clementissime, propitius esto mihi maximo peccatori, & redde mihi te placatum per unigenitum Filium tuum JESUM Christum, quem Sacerdos mysticè obtulit in plenam emendationem, expiationem, atque satisfactionem pro omnibus peccatis, & negligentiis meis, & pro peccatis mundi, ac omnium fidelium defunctorum, & in perfectam suppletionem bonorum operum, ac meritorum, quæ mihi, vel meis desunt: obtulit tibi eundem dilectum Filium tuum in unione illius summæ charitatis, quâ tu eum misisti in mundum, nobisque eum dedisti Salvatorem, obtulit & omnia, quæ ipse pro nobis fecit, ac pertulit, nimirum sanctissimam Incarnationem, vitam, labores, ærumnas, passionem, cruciatus, sanguinem, & mortem illius; obtulit & virtutes ejus perfectissimas,

mas, pariter & virtutes, ac merita Deiparæ MARIÆ Virginis, atque omnium Sanctorum tuorum. Suscipe, obsecro, hanc oblationem in odorem svavitatis, & laudem æternam. Amen.

## LITANIAE

### DE NOMINE JESU.

**K**yrie eleison, Christe eleison,  
Kyrie eleison.

Christe audi nos, Christe exaudi nos.

Pater de Cœlis Deus, Miserere nobis.

Fili Redemptor mundi Deus, Miserere nobis.

Spiritus Sancte Deus, Miserere nobis.  
Sancta Trinitas unus DEUS, Miserere nobis.

JESU Fili DEI vivi,  
Jesu Fili Mariæ Virginis,  
Jesu sanctissime,  
Jesu potentissime,  
Jesu fortissime,  
Jesu perfectissime,  
Jesu gloriosissime,  
Jesu piissime,  
Jesu mirifice,  
Jesu clarissime,

Miserere nobis.

Jesu

Jesu dulcissime,  
 Jesu jucundissime,  
 Jesu charissime,  
 Jesu clarior sole,  
 Jesu pulchrior luna,  
 Jesu splendidior stellis,  
 Jesu admirabilis,  
 Jesu delectabilis,  
 Jesu honorabilis,  
 Jesu humillime,  
 Jesu pauperrime,  
 Jesu mitissime,  
 Jesu patientissime,  
 Jesu obedientissime,  
 Jesu castissime,  
 Jesu amator castitatis,  
 Jesu amator pacis,  
 Jesu amor noster,  
 Jesu speculum vitæ,  
 Jesu exemplar virtutum,  
 Jesu decus morum,  
 Jesu speculum perfectionis,  
 Jesu zelator animarum,  
 Jesu refugium nostrum,  
 Jesu Pater pauperum,  
 Jesu Consolator afflictorum,  
 Jesu Thesaurus fidelium,

Miserere nobis.

Jesu gemma pretiosa,  
 Jesu armarium perfectionis,  
 Jesu bone Pastor ovium,  
 Jesu stella maris,  
 Jesu lux vera,  
 Jesu sapientia æterna,  
 Jesu bonitas infinita,  
 Jesu Salvator mundi,  
 Jesu Mediator DEI, & hominum,  
 Jesu benignissime,  
 Jesu dilectissime,  
 Jesu clementissime,  
 Jesu desideratissime,  
 Jesu amantissime,  
 Jesu Amator fidelissime,  
 Jesu Gaudium Angelorum,  
 Jesu Rex Patriarcharum,  
 Jesu Inspirator Prophetarum,  
 Jesu Magister Apostolorum,  
 Jesu Doctor Evangelistarum,  
 Jesu Fortitudo Martyrum,  
 Jesu Lumen Confessorum,  
 Jesu Sponse Virginum,  
 Jesu Corona Sanctorum omnium,  
 Propitius esto, Parce nobis JESU.  
 Propitius esto, Exaudi nos JESU.  
 Ab omni molo, Libera nos JESU.  
 Ab

Miserere nobis.

Ab omni peccato,  
 Ab omni periculo,  
 Ab ira tua,  
 Ab insidiis diaboli,  
 A peste, fame, & bello,  
 A transgressione mandatorum tuorum.  
 Ab incursum omnium malorum,  
 Per Incarnationem tuam,  
 Per Adventum tuum,  
 Per Nativitatem tuam,  
 Per Circumcisionem tuam,  
 Per Dolores tuos,  
 Per Flagella tua,  
 Per Mortem tuam,  
 Per Resurrectionem tuam,  
 Per Ascensionem tuam,  
 Per Gaudia tua,  
 Per Gloriam tuam,  
 Per Dulcissimam Virginem Matrem  
     tuam,  
 Per intercessionem omnium Sancto-  
     torum tuorum.

Agnus DEI, qui tollis peccata mundi,  
     Parce nobis JESU.  
 Agnus DEI, qui tollis peccata mundi,  
     Exaudi nos JESU.  
 Agnus DEI, qui tollis peccata mundi,  
     Miserere nobis JESU.                  JE-

Libera nos JESU.

JESU Christe audi nos,  
 JESU Christe exaudi nos.  
 Kyrie eleison, Christe eleison.  
 Kyrie eleison.

*Pater noster.*

- ¶. Et ne nos inducas in temptationem :  
 ¶. Sed libera nos à malo.  
 ¶. Domine exaudi orationem meam :  
 ¶. Et clamor meus ad te veniat.

*OREMUS.*

**D**EUS, qui glorioſiſſimum nomen Domini nostri JESU Christi fecisti fidelibus tuis summô ſvavitatis affectu amabile, & malignis spiritibus tremendum, atque terribile : concede propius ; ut omnes, qui hoc nomeu JESU devotè venerantur in terris, sanctæ consolationis dulcedinem in præſenti percipient, & in futuro gaudium exultationis, & interminabilis beatitudinis obtineant in cœlis. Per eundem Dominum nostrum, &c.

*Oratio ad JESUM.*

**O** Bone JESU ! ô piissime JESU ! ô dulcissime JESU ! ô JESU Fili Mariæ Virginis, plene misericordiâ, & pietate ! ô dul-

dulcis JESU! secundum magnam misericordiam tuam miserere mei. O clementissime JESU! te deprecor per illum sanguinem pretiosum, quem pro peccatoribus effundere voluisti, ut ablucas omnes iniquitates meas, & in me respicias miserum, & indignum, humiliter veniam petentem, & hoc sanctum nomen JESU invocantem; ô nomen JESU, nomen dulce! nomen JESU, nomen delectabile! nomen JESU, nomen confortans! Quid est enim JESUS, nisi Salvator? Ergo JESU, propter nomen sanctum tuum esto mihi JESUS, & salva me: ne permittas me damnari, quem tu ex nihilo creasti. O bone JESU! ne perdat me iniquitas mea, quem fecit omnipotens bonitas tua. O dulcissime JESU! recognosce, quod tuum est, & absterge, quod alienum est. O benignissime JESU! miserere mei, dum tempus est miserendi, ne dannes me in tempore judicandi. Quæ utilitas in sanguine tuo, dum descendero in æternam corruptionem? non mortui laudabunt te Domine JESU, neque omnes, qui descendunt in infernum. O amantissime JESU! ô desideratissime JESU! ô mitissime

sime JESU ! ô JESU, JESU, JESU ! admitte me intrare in numerum electorum tuorum. O JESU, salus in te credentium ! ô JESU, solatium ad te configuentium ! ô JESU, dulcis remissio omnium peccatorum ! ô JESU, Fili MARIÆ Virginis ! infunde in me gratiam , sapientiam , charitatem , castitatem , & humilitatem : ut possim te perfectè diligere , te laudare , te perfrui , tibi servire , & in te gloriari ; & omnes , qui invocant nomen tuum , quod est JESUS. Amen.

### *Alia ad JESUM.*

**M**isericordissime, piissime , benignissime JESU, consolator , & amator meus : ignosce , & condona mihi peccata mea ! Exurat , illuminet , inflammet me inextingibilis gratia Spiritus Sancti , ut purus , & alienus efficiar à peccatis meis ; transformet me Passio tua JESU patientissime. Peccavi nimis in vita mea , & saepius te Creatorem meum irritavi , furorem tuum infimus terræ vermis ulus provocavi , iram proinerui , propter quod timeo nimis. Vocasti me , & respui ; dum differo , præstolaris , revo-  
cas

cas errantem , incitas repugnantem , amplecteris redeuntem . O bone JESU ! quid faciam ? quod me vertam , donec pertranseat furor tuus ? parce peccatis meis , parce confitenti injustitiam o misericordissime JESU ! & non tradas me in manus peccatorum , nec permittas me incidere in ora leonum , apud illos nulla misericordia , ac redemptio : Tu enim redemisti Israël ex omnibus iniquitatibus ejus . Miserere ergo mei DEUS , miserere mei , & non secundum iniquitates , neque secundum peccata mea facias mihi , sed secundum magnam misericordiam tuam miserere mei , & propitius esto mihi maximo peccatori , per amarissimam passionem , mortem , & crucem tuam , per merita Beatissimæ Virginis Matris tuæ MARIÆ , ac omnium Sanctorum Patronorum meorum . Amen .

### *Alia ad JESUM.*

O Clementissime JESU ! respice in me prodigum filium tuum , quem pretiosissimo sanguine tuo redemisti : non permittas me , ut ovem errantem , interire ; quæ enim utilitas in sanguine tuo ,

si descendero in æternam corruptionem ?  
 Respice me claimantem ; Pater , peccavi  
 in Cœlum , & coram te ! Placare , ô me-  
 um bonum ! non avertas faciem tuam  
 ab hac anima peccatis deformata , sicut  
 non avertisti ab iis , qui te sputis , & co-  
 laphis malè træstârunt . Peccavi , ô juste  
 Judex ! mereor mille infernos , ô dulcissime  
 JESU ! non habeo , unde solvam , sit  
 mea satisfactio Sangvis tuus pretiosissi-  
 mus , & vulnera tua , in quæ refugiam , &  
 per quæ me redemisti .

### *Oratio devota ad JESUM.*

**O** Bone JESU , DEUS meus ! peccavi  
 nimis in vita mea , & malum coram  
 te feci ; vocâsti me , & respui , unica salu-  
 tis meæ spes , & refugium . O , infelix e-  
 go ! te sàpiùs Deum meum irritavi , ma-  
 lum coram te feci ; furorem tuum pro-  
 vocavi , iram promerui : peccavi ! & pas-  
 sus es ; deliqui , & adhuc sustines ; si pœ-  
 nituero , parces ; si revertor , suscipis ; in-  
 super dum differo , præstolaris ; sàpe re-  
 vocas errantem , invitas repugnantem ,  
 expeetas torpentem , amplectaris rede-  
 untem : parce mihi JESU dulcissime , pœ-  
 nitet

nitet me hucusque sic vixisse, doleo ex toto corde, quod te offenderim! parce peccatis meis, parce confitenti injustitiam suam, dele culpas o bone JESU! ne desperem, sed sperando in tua bonitate respirem. Amen.

### *Oratio B. Thomæ Aquinatis.*

**C**Oncede mihi misericors DEUS, quæ tibi placita sunt, ardenter concupisçere, prudenter investigare, veraciter agnoscere, perfectè adimplere. Ad laudem, & gloriam nominis tui ordina statum meum, & quod à me requiris, ut faciam, tribue, ut sciam; & da exequi, sicut oportet, & expedit animæ meæ. Da mihi Dominus Deus meus, inter prospera, & adversa non deficere: ut in illis non extollar, in ipsis non deprimar; de nullo gaudeam, vel doleam, nisi quod ducat ad te, vel abducat à te; nulli placere expectam, vel displicere timeam, nisi tibi. Vilescant mihi, Domine, omnia transitoria, & chara mihi sint omnia tua propter te, & tu Deus præter omnia. Tædeat me gaudii, quod est sine te; nec aliquid cupiam, quod est extra te. Delet

Etet me Domine labor , qui est pro te ;  
& tædiosa mihi sit omnis quies , quæ est  
sinè te. Frequenter da mihi Domine cor  
ad te dirigere, & in defectione mea, cum  
emendationis proposito dolendo pensare.  
Fac me Domine DEUS obedientem sinè  
contradicione , pauperem sinè defectione,  
castum sinè corruptione , patientem sinè  
murmuratione , humilem sinè fictione,  
maturum sinè gravitate , agilem sinè le-  
vitate , timentem sinè desperatione , ve-  
racem sinè duplicitate , operantem bona  
sinè præsumptione , proximum corrigere  
sinè elatione , ipsum ædificare verbô , &  
exemplô sinè simulatione. Da mihi Do-  
mine DEUS cor pervigil , quod nulla ab-  
ducat à te curiosa cogitatio ; da nobile ,  
quod nulla deorsum trahat indigna affe-  
ctio ; da rectum , quod nulla deorsum  
obliquet sinistra intentio ; da invictum ,  
quod nulla frangat tribulatio ; da libe-  
rum , quod nulla sibi vendicet perversa ,  
& violenta affectio. Largire mihi Do-  
mine DEUS , intellectum te cognoscen-  
tem , diligentiam te quærentem , sapien-  
tiam te invenientem , conversationem ti-  
bi placentem , perseverantiam te fideliter  
expe-

expectantem, & fiduciam te finaliter amplectentem ; tuis pœnis configi per pœnitentiam , tuis beneficiis uti in via per gratiam ; & tandem tuis gaudiis in patria perfungi per gloriam. Qui cum Deo Patre , & Spiritu Sancto vivis , & regnas DEUS , per omnia saecula saeculorum. Amen.

## SEPTEM PSALMI POENITENTIALES.

*Dicuntur flexis genibus.*

*Antiph.* Ne reminiscaris , &c.

### PSALMUS VI.

**D**omine, ne in furore tuo arguas me : neque in ira tua corripias me.

Miserere mei Domine , quoniam infirmus sum : sana me Domine , quoniam conturbata sunt ossa mea.

Et anima mea turbata est valde : sed tu Domino usquequid ?

Converte Domine , & eripe animam meam : salvum me fac propter misericordiam tuam.

Quoniam non est in morte , qui memor sit tui : in inferno autem quis confitebitur tibi ?

Labo-

Laboravi in gemitu meo, lavabo per singulas noctes lectum meum: lacrymis meis stratum meum rigabo.

Turbatus est à furore oculus meus: inveteravi inter omnes inimicos meos.

Discedite à me omnes, qui operamini iniquitatem: quoniam exaudivit Dominus vocem fletus mei.

Exaudivit Dominus deprecationem meam: Dominus orationem meam suscepit.

Erubescant, & conturbentur vehementer omnes inimici mei: convertantur, & erubescant valde velociter.

Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto, &c.

### PSALMUS XXXI.

**B**EATI, quorum remissæ sunt iniquitates: & quorum teæta sunt peccata.

Beatus vir, cui non imputavit Dominus peccatum: nec est in spiritu ejus dolus.

Quoniam tacui, inveteraverunt ossa mea: dum clamarem tota die.

Quoniam die, ac nocte gravata est super me manus tua: conversus sum in ærurna mea, dum configitur spinæ.

Deli-

Delicetum meum cognitum tibi feci :  
 & injustitiam meam non abscondi.

Dixi : confitebor adversum me injus-  
 titiam meam Domino : & tu remisisti  
 impietatem peccati mei.

Pro hac orabit ad te omnis Sanctus :  
 in tempore opportuno.

Verumtamen in diluvio aquarum mul-  
 tarum : ad eum non approximabunt.

Tu es refugium meum à tribulatione,  
 quæ circumdedit me : exultatio mea , e-  
 rue me à circumdantibus me.

Intellectum tibi dabo , & instruam te  
 in via hac , qua gradieris : firmabo super  
 te oculos meos.

Nolite fieri sicut equus , & mulus : qui-  
 bus non est intellectus.

In camo , & frœno maxillas eorum  
 constringe : qui non approximant ad te.

Multa flagella peccatoris : sperantem  
 autem in Domino misericordia circum-  
 dabit.

Lætamini in Domino , & exultate ju-  
 sti : & gloriamini omnes recti corde.

Gloria Patri , & Filio , & Spiritui  
 Sancto , &c.

## PSALMUS XXXVII.

**D**omine, ne in furore tuo árguas me:  
neque in ira tua corripias me.

Quoniam sagittæ tuæ infixæ sunt mihi:  
& confirmâsti super me manum tuam.

Non est sanitas in carne mea à facie  
iræ tuæ: non est pax ossibus meis à facie  
peccatorum meorum.

Quoniam iniquitates meæ supergres-  
fæ sunt caput meum: & sicut onus gra-  
ve gravatæ sunt super me.

Putruerunt, & corruptæ sunt cicatri-  
ces meæ: à facie insipientiæ meæ.

Miser factus sum, & curvatus sum us-  
que in finem: tota die contristatus in-  
grediebar.

Quoniam lumbi mei impleti sunt illu-  
sionibüs: & non est sanitas in carne mea.

Afflictus sum, & humiliatus sum ni-  
mis: rugiebam à gemitu cordis mei.

Domine ante te omne desiderium me-  
um: & gemitus meus à te non est ab-  
sconditus.

Cor meum conturbatum est, dereli-  
quit me virtus mea: & lumen oculorum  
meorum, & ipsum non est mecum.

Ami-

Amici mei, & proximi mei : adversum me appropinquaverunt , & steterunt.

Et qui juxta me erant, de longe steterunt ; & vim faciebant, qui quarebant animam meam.

Et qui inquirebant mala mihi , locuti sunt vanitates ; & dolos tota die meditabantur.

Ego autem tanquam surdus non audiabam : & sicut mutus , non aperiens os suum.

Et factus sum , sicut homo non audiens : & non habens in ore suo redargutiones.

Quoniam in te Domine speravi : tu exaudiens me Domine Deus meus.

Quia dixi : ne quando supergaudeant mihi inimici mei : & dum commoventur pedes mei, super me magna locuti sunt.

Quoniam ego in flagella paratus sum : & dolor meus in conspectu meo semper.

Quoniam iniquitatem meam annunciarbo : & cogitabo pro peccato meo.

Inimici autem mei vivunt , & confirmati sunt super me : & multiplicati sunt, qui oderunt me iniquè.

Qui retribuunt mala pro bonis : detrahebant mihi , quoniam sequebar bonitatem.

Ne derelinquas me Domine Deus meus : ne discesseris à me.

Intende in adjutorium meum : Domine Deus salutis meæ.

Gloria Patri , & Filio , & Spiritui Sancto , &c.

*PSALMUS L.*

**M**iserere mei Deus : secundum magnam misericordiam tuam.

Et secundum multitudinem miserationum tuarum : dele iniquitatem meam.

Amplius lava me ab iniquitate mea : & à peccato meo munda me.

Quoniam iniquitatem meam ego cognosco : & peccatum meum contra me est semper.

Tibi soli peccavi , & malum coram te feci : ut justificeris in sermonibus tuis , & vincas , cùm judicaris.

Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum : & in peccatis concepit me mater mea.

Ecce enim veritatem dilexisti : incerta , & occulta sapientia tua manifestasti mihi.

Asper-

Asperges me Domine hyssopō , & mundabor : lavabis me , & super nivem dealbabor .

Auditui meo dabis gaudium , & lætitiam : & exultabunt oslā humiliata .

Averte faciem tuam à peccatis meis : & omnes iniquitates meas dele .

Cor mundum crea in me Deus : & spiritum rectum innova in visceribus meis .

Ne projicias me à facie tua : & spiritum sanctum tuum ne auferas à me .

Redde mihi lætitiam salutaris tui ; & spiritu principali confirma me .

Docebo iniquos vias tuas : & impii ad te convertentur .

Libera me de sanguinibus Deus , Deus salutis meæ : & exultabit lingua mea iustitiam tuam .

Domine labia mea aperies : & os meum annunciat laudem tuam .

Quoniam , si voluisses sacrificium , de-dissem utique : holocaustis non delectaberis .

Sacrificium Deo spiritus contribulatus : cor contritum , & humiliatum Deus non despicies .

Benignè fac Domine in bona voluntate tua Sion : ut ædificantur muri Jerusalem.

Tunc acceptabis sacrificium justitiae, oblationes, & holocausta : tunc imponent super altare tuum vitulos.

Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto, &c.

*PSALMUS CI.*

**D**omine exaudi orationem meam : & clamor meus ad te veniat.

Non avertas faciem tuam á me : in quacunque die tribulor, inclina ad me aurem tuam.

In quacunque die invocavero te : velociter exaudi me.

Quia defecerunt sicut fumus dies mei : & ossa mea sicut cregium aruerunt.

Percussus sum, ut fœnum, & aruit cor meum : quia oblitus sum comedere panem meum.

A voce gemitūs mei : adhæsit os meum carni meæ.

Similis factus sum pellicano solitudinis : factus sum sicut nicticorax in domicilio.

Vigilavi ; & factus sum : sicut passer solitarius in tecto.

Toto

Tota die exprobrabant mihi inimici  
mei: & qui laudabant me, adversum  
me jurabant.

Quia cinerem, tanquam panem, man-  
ducabam: & potum meum cum fletu  
miscebam.

A facie iræ, & indignationis tuæ: quia  
elevans allisisti me.

Dies mei, sicut umbra, declinaverunt:  
& ego sicut fœnum arui.

Tu autem Domine in æternum per-  
manes: & memoriale tuum in genera-  
tionem, & generationem.

Tu exurgens misereberis Sion: quia  
tempus miserendi ejus, quia venit tempus.

Quia placuerunt servis tuis lapides e-  
jus: & terræ ejus miserebuntur.

Et timebunt gentes nomen tuum Do-  
mine: & omnes Reges terræ gloriam tuam.

Quia ædificavit Dominus Sion: & vi-  
debitur in gloria sua.

Respexit in orationem humilium: &  
non sprevit precem eorum.

Scribantur hæc in generatione altera:  
& populus, qui creabitur, laudabit Do-  
minum.

Quia prospexit de excelso sancto suo:  
Dominus de Cœlo in terram aspexit.

Ut audieret gemitus compeditorum :  
& solveret filios interemotorum.

Ut annuntient in Sion nomen Domini : & laudem ejus in Jerusalem.

In conveniendo populos in unum : & Reges , ut serviant Domino.

Respondit ei in via virtutis suæ: paucitatem dierum meorum nuncia mihi.

Ne revokes me in dimidio dierum meorum : in generationem , & generationem anni tui.

Initiò tu Domine terram fundâsti : & opera manuum tuarum sunt Cœli.

Ipsi peribunt , tu autem permanes : & omnes , sicut vestimentum , veterascent.

Et sicut opertorium mutabis eos , & mutabuntur : tu autem idem ipse es , & anni tui non deficient.

Filii servorum tuorum habitabunt: & semen eorum in sæculum dirigetur.

Gloria Patri , & Filio , & Spiritui Sancto , &c.

### PSALMUS CXXIX.

**D**E profundis clamavi ad te Domine :  
Domine exaudi vocem meam.

Fiant

Fiant aures tuæ intendentæ: in vocem deprecationis meæ.

Si iniquitates observaveris Domine: Domine, quis sustinebit?

Quia apud te propitiatio est: & propter legem tuam sustinui te Domine.

Sustinuit anima mea in verbo ejus: speravit anima mea in Domino.

A custodia matutina usque ad noctem: speret Israël in Domino.

Quia apud Dominum misericordia: & copioia apud eum redemptio.

Et ipse redimet Israël: ex omnibus iniquitatibus ejus.

Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto, &c.

### PSALMUS CXLII.

**D**omine exaudi orationem meam: auribus percipe obsecrationem meam in veritate tua: exaudi me in justitia tua.

Et non intres in judicium cum servo tuo: quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens.

Quia persecutus est inimicus animam meam: humiliavit in terra vitam meam.

Collocavit me in obscuris sicut mortuos sæculi: & anxiatus est super me

spiritus meus, in me turbatum est cor meum.

Memor fui dierum antiquorum, meditatus sum in omnibus operibus tuis: in factis manum tuarum meditabar.

Expandi manus meas ad te: anima mea sicut terra sine aqua tibi.

Velociter exaudi me Domine: defecit spiritus meus.

Non avertas faciem tuam a me: & similis ero descendantibus in lacum.

Auditam fac mihi mane misericordiam tuam: quia in te speravi.

Notam fac mihi viam, in qua ambulem: quia ad te levavi animam meam.

Eripe me de inimicis meis Domine, ad te confugi: doce me facere voluntatem tuam, quia Deus meus es tu.

Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam: propter nomen tuum Domine vivificabis me in aequitate tua.

Educes de tribulatione animam meam: & in misericordia tua disperdes inimicos meos.

Et perdes omnes, qui tribulant animam meam: quoniam ego servus tuus sum.

Gloria Patri , & Filio , & Spiritui  
Sancto : sicut erat in principio , & nunc,  
& semper , & in saecula saeculorum. Am.

*Antiphona.* Ne reminiscaris Domine  
delicta nostra , vel Parentum nostrorum,  
neque vindictam sumas de peccatis no-  
stris.

## LITANIAE DE OMNIBUS SANCTIS.

**K**Yrie eleison , Christi eleison.

**K** Kyrie eleison.

Christe audi nos ,

Christe exaudi nos.

Pater de Cœlis Deus , Miserere nobis.

Fili Redemptor mundi Deus , Miserere  
nobis.

Spiritus Sancte Deus , Miserere nobis.

Sancta Trinitas unus Deus , Miserere  
nobis.

Sancta MARIA , Ora pro nobis.

Sancta Dei Genitrix , Ora pro nobis.

Sancta Virgo Virginum , Ora pro nobis.

Sancte Michaël , Ora pro nobis.

Sancte Gabriel , Ora pro nobis.

Sancte Raphaël , Ora pro nobis.

Omnes Sancti Angeli , & Archangeli , orato  
pro nobis. C 5 O-

**Omnis Sancti Beatorum Spirituum Ordines, orate pro nobis.**

**Sancte Joannes Baptista, ora pro nobis.**

**Sancte Joseph, ora pro nobis.**

**Omnis Sancti Patriarchæ, & Prophetæ, orate pro nobis.**

S. Petre,

S. Paule,

S. Andrea,

S. Jacobe,

S. Joannes,

S. Thoma,

S. Jacobe,

S. Philippe,

S. Bartholomæ,

S. Matthæ,

S. Simon,

S. Thadæ,

S. Mathia,

S. Barnaba,

S. Luca,

S. Marce,

**Omnis Sancti Apostoli, & Evangelistæ,**

**orate pro nobis.**

**Omnis Sancti Discipuli Domini, orate pro nobis.**

**Omnis Sancti Innocentes, orate pro nobis.**

S. Ste-

Ora pro nobis.

S. Stephane, ora pro nobis.  
 S. Laurenti, ora pro nobis.  
 S. Vincenti, ora pro nobis.  
 SS. Fabiane, & Sebastiane, orate pro nobis.

SS. Joannes, & Paule, orate pro nobis.  
 SS. Cosma, & Damiane, orate pro nobis.  
 SS. Gervasi, & Protasi, orate pro nobis.  
 Omnes Sancti Martyres, orate pro nobis.

S. Silvester,  
 S. Gregori,  
 S. Ambroſi,  
 S. Augustine,  
 S. Hyeronime,  
 S. Martine,  
 S. Nicolae,

Omnes Sancti Pontifices, & Confessores,  
 orate pro nobis.

Omnes Sancti Doctores, orate pro nobis.

S. Antoni,  
 S. Benedicte,  
 S. Bernarde,  
 S. Dominice,  
 S. Francisce,  
 S. P. Ignati,  
 S. Francisce Xaveri,  
 S. Francisce Borgia,

Ora pro nobis.

Ora pro nobis.

Omnes

Omnis Sancti Sacerdotes, & Levitæ,  
orate pro nobis.

Omnis Sancti Monachi, & Eremitæ,  
orate pro nobis.

S. Maria Magdalena,

S. Agatha,

S. Lucia,

S. Agnes,

S. Cæcilia,

S. Catharina,

S. Anastasia,

S. Barbara,

Omnis Sanctæ Virgines, & Viduæ, ora-  
te pro nobis.

Omnis Sancti, & Sanctæ Dei, Interce-  
dite pr nobis.

Propitius esto,      parce nobis Domine.

Propitius esto,      exaudi nos Domine.

Ab omni malo,      Libera nos Domine.

Ab omni peccato,

Ab ira tua,

A subitanea, & improvisa morte,

Ab insidiis diaboli,

Ab ira, & odio, & omni mala vo-  
luntate,

A spiritu fornicationis,

A fulgure, & tempestate,

Ora pro nobis.

Libera nos Domine.

A mor-

A morte perpetua,  
Per mysterium Sanctæ Incarnationis  
tuæ,

Per Adventum tuum,  
Per Nativitatem tuam,  
Per Baptismum, & sanctum jejunium  
tuum,

Per Crucem, & Passionem tuam,  
Per mortem, & sepulturam tuam,  
Per sanctam Resurrectionem tuam,  
Per admirabilem Ascensionem tuam,  
Per Adventum Spiritus S. Paraclyti,  
In die judicii,

Peccatores, Te rogamus audi nos.

Ut nobis parcas,

Ut nobis indulgeas,

Ut ad veram pœnitentiam nos per-  
ducere digneris,

Ut Ecclesiam tuam sanctam regere,  
& conservare digneris,

Ut Dominum Apostolicum, & omnes  
Ecclesiasticos ordines in sancta  
Religione conservare digneris,

Ut inimicos sanctæ Ecclesiæ humilia-  
re digneris,

Ut Regibus, & Principibus Christia-  
nis pacem, & veram concordiam  
donare digneris,

Liber a nos Domine.

Te rogamus audi nos.

Ut

Ut cuncto populo Christiano pacem,  
 & unitatem largiri digneris,  
 Ut nosmetipsos in tuo sancto servi-  
 tio confortate, & conservare di-  
 gneris,  
 Ut mentes nostras ad cœlestia deside-  
 ria erigas,  
 Ut omnibus Benefactoribus nostris  
 sempiterna bona retribuas,  
 Ut animas nostras, fratrum, propin-  
 quorum, & benefactorum nostro-  
 rum ab æterna damnatione eri-  
 piyas,  
 Ut fructus terræ dare, & conserva-  
 re digneris,  
 Ut nos exaudire digneris,  
 Fili DEI,  
 Agnus DEI, qui tollis peccata mundi,  
 Parce nobis Domine.  
 Agnus DEI, qui tollis peccata mundi,  
 Exaudi nos Domine.  
 Agnus DEI, qui tollis peccata mundi,  
 Miserere nobis.  
 Christe audi nos, Christe exaudi nos.  
 Kyrie eleison, Christe eleison,  
 Kyrie eleison.  
 Pater noster, &c. *secreto.*

Te rogamus audi nos.

X. Et

¶. Et ne nos inducas in temptationem :  
 Rx. Sed libera nos à malo.

## PSALMUS LXIX.

**D**EUS in adjutorium meum intende :  
 Domine ad adjuvandum me festina.  
 Confundantur , & revereantur , qui  
 quærunt animam meam : avertantur re-  
 trorsum , & erubescant , qui volunt mi-  
 hi mala.

Avertantur statim erubescentes : qui  
 dicunt mihi euge , euge.

Exultent , & lætentur in te omnes ,  
 qui quærunt te , & dicant semper : ma-  
 gnificetur Dominus , qui diligunt saluta-  
 re tuum.

Ego verò egenus , & pauper sum :  
 Deus adjuva me.

Adjutor meus , & liberator meus es  
 tu : Domine ne morérис.

Gloria Patri , & Filio , & Spiritui  
 Sancto , &c.

¶. Salvos fac servos tuos :

Rx. Deus meus sperantes in te.

¶. Esto nobis Domine turris fortitudi-  
 nis :

Rx. A facie inimici.

¶. Nihil proficiat inimicus in nobis :

Rx. Et

- R. Et filius iniquitatis non apponat nocere nobis.
- V. Domine non secundum peccata nostra facias nobis :
- R. Neque secundum iniquitates nostras retribuas nobis :
- V. Oremus pro Pontifice nostro N.
- R. Dominus conservet eum, & vivificet eum, & beatum faciat eum in terra, & non tradat eum in animam inimicorum ejus.
- V. Oremus pro benefactoribus nostris:
- R. Retribuere dignare Domine omnibus nobis bona facientibus propter nomen tuum vitam æternam.
- V. Oremus pro fidelibus defunctis.
- R. Requiem æternam dona eis Domine, & lux perpetua luceat eis.
- V. Requiescant in pace :
- R. Amen.
- V. Pro fratribus nostris absentibus :
- R. Salvos fac servos tuos Deus meus sperantes in te.
- V. Mitte eis Domine auxilium de Sancto :
- R. Et de Sion tuere eos.
- V. Domine exaudi orationem meam :
- R. Et clamor meus ad te veniat.

ORE-

## O R E M U S.

**D**EUS, cui proprium est misereri semper, & parcere; suscipe deprecationem nostram: ut nos, & omnes famulos tuos, quos delictorum catena constringit, miseratio tuæ pietatis clementer absolvat.

**E**Xaudi, quæsumus, Domine supplicum preces, & confitentium tibi parce peccatis: ut pariter nobis indulgentiam tribuas benignus, & pacem.

**I**neffabilem nobis Domine misericordiam tuam clementer ostende: ut simul nos, & à peccatis omnibus exuas, & à poenitentiis, quas pro his meremur, eripias.

**D**EUS, qui culpâ offenderis, poenitentiâ placaris, preces populi tui supplicantis propitius respice; & flagella tuæ iracundiæ, quæ pro peccatis nostris meremur, averte.

**O**Mnipotens, sempiterne Deus, miserebamur Famulo tuo Pontifici nostro N. & dirige eum secundum tuam clemenciam in viam salutis æternæ; ut te donante, tibi placita cupiat, & tota virtute perficiat.

**D**EUS, à quo sancta desideria, recta  
consilia, & justa sunt opera; da ser-  
vis tuis illam, quam īmundus dare non  
potest pacem; ut & corda nostra manda-  
tis tuis dedita, & hostium sublata for-  
midine, tempora sint tua protectione  
tranquilla.

**U**RE igne S. Spiritūs renes nostros, &  
cor nostrum Domine, ut tibi casto  
corpore serviamus, & mundo corde pla-  
ceamus.

**F**idelium Deus omnium Conditor, &  
Redemptor, animabus famulorum,  
famularūmque tuarum remissionem cun-  
ētorum tribue peccatorum; ut indulgen-  
tiā, quam semper optaverunt, piis sup-  
plicationibus consequantur.

**A**ctiones nostras, quæsumus, Domine  
aspirando præveni, & adjuvando  
proseguere: ut cuncta nostra oratio, &  
operatio à te semper incipiat, & per te  
coepta finiatur.

**O**Mnipotens, sempiterne Deus, qui  
vivorum dominaris, simul & mor-  
tuorum, omniūmque misereris, quos tu  
os fide, & opere futuros esse prænoscis;  
te

te supplices exoramus : ut , pro quibus effundere preces decrevimus , quosque vel præsens sæculum adhuc in carne retinet , vel futurum jam exutos corpore suscepit , intercedentibus omnibus Sanctis tuis , pietatis tuæ clementia omnium delictorum suorum veniam consequantur. Per Dominum nostrum J E S U M Christum Filium tuum , qui tecum vivit , & regnat in unitate Spiritus Sancti Deus , per omnia sæcula sæculorum. Amen.

## PSALMUS MISERERE,

Per

Mistos Doloris , & Amoris  
Gemitus.

## P R A E P A R A T I O .

**P**Ater ! peccavi in Cœlum , & coram te , jam non sum dignus vocari filius tuus. Ecce ego ille sum quondam filius tuus , qui acceptis tot gratiæ tuæ donis , à te amantissimo Patre recessi ; qui per Spiritum adoptionis divinæ consors factus

naturæ, in veterem vilitatem degeneri  
conversatione redivi.

Pater, peccavi in Cœlum, in te scilicet, qui habitas in Cœlo, In ipsum quoniam Cœlum peccavi, quia illic patria mea est, quam reliqui; cui terram, exili locum, prætuli. Peccavi in Cœlum, in Societatem supernorum Civium, à confortio Angelorum, Sanctorumque omnium alienus effectus. Peccavi in Cœlum, quia peccando cœlestia dona projeci, & à gremio Matris meæ, quæ sursum est Jerusalem, deviavi.

Sed his omnibus deterius est, quod & coram te peccare non erubui; quod oculos tuæ Majestatis offendi; quod charitatem tuam amisi; quod te summum Bonum, summò amore dignum, non amavi; quod, te Creatore relicto, creaturæ adhæsi; quod, te Patrem abnegans, filius esse nolui.

Jam non sum dignus vocari filius tuus. Scio enim, quia dilectio sola discerit inter filios tuos, & filios diaboli. Scio, quia amissa dilectio, mors mea est. Sic audio dicentem Discipulum tuum: Qui non diligit, manet in morte. Heu mihi,

hi, Domine Deus meus ! quomodo audeo filii tui nomen usurpare , si filius sum inimici tui ? Quomodo filius sum Dei vivi , si non habeo vitam in me manentem ? Aut si necdum omnino filius esse desiri , quia per Sacramentum regenerationis characterem filiorum accepi ; certè malus filius evasi , jámque infideli deterior .

Et quomodo attollo oculos ad vultum Patris tam boni , tam malus filius ?

Audeo tamen , & levo oculos meos ad te , qui habitas in Cœlis. Nam et si dignus non sum vocari filius tuus , tu nichilominus dignus es vocari Pater meus. Non servavi ego , quod filii erat ; Tu , quod patris est , nunquam omisisti. Vox dilectionis tuæ insonuit auribus meis. Dixisti enim : nunquid oblivisci potest mulier infantem suum , ut non misereatur filio uteri sui ? Et si illa oblita fuerit , ego tamen non obliviscar tui. Dixisti : Revertere ad me , & ego suscipiam te.

Ecce in me aliquando reversus , & conversus ad cor dixi : Surgam , & ibo ad Patrem meum. Dixi : Nunc cœpi. Sed quid ultrà dicam , nisi ut misericordiam petam , qui justitiam irritavi ? Dicam ergo :

## GEMITUS DOLORIS.

*Miserere mei Deus, secundum magnam misericordiam tuam.*

**N**isi magna esset misericordia tua, quomodo tolli possent peccata mea? Sola enim gratia tua remissionem tribuit, nullis præcedentibus meritis bonis; imò multis præcedentibus demeritis. Magnâ autem mihi opus est misericordiâ tuâ, ubi tam magna est mea miseria. Compaterem magnæ miseriæ, secundum magnam misericordiam tuam. Subveni gravi vulneri, secundum magnam medicinam tuam. Grave est, quod habeo, sed ad omnipotentem confugio.

*Et secundum multitudinem miserationum tuarum: delc iniquitatem meam.*

**Q**uæro magnam misericordiam, quia delictum meum magnum est. Quæro miserationum multitudinem, quia multum est. Magnum sanè malum, quod totum aufert bonum. Sufficit vel semel lethali peccato consensisse, ut te summum bonum amittam. Ast nunc etiam multipli-

tiplicata sunt peccata mea super numerum arenæ maris. Ergo non solum magna sit misericordia tua super me, verum etiam in multitudine miserationum tuarum respice in me.

*Dele iniquitatem meam.*

**N**on dico tantummodo : Tege iniquitatem meam ; sed dele. Tollatur injustitia mea, ita ut non sit. Quid enim proderit, si tegantur sordes meæ, & ego non emunder? Si abscondantur ulcera mea, & non saner? Dele Domine maculas meas, ablue sordes, injustitiam meam aufer, ut acceptò gratiæ tuæ dono, deinceps mundus, sanctus, & immaculatus coram te compaream.

*Amplius lava me ab iniquitate mea:  
Ex a peccato meo munda me.*

**N**on semel ; sed iterum, iterumque lava me, qui tam sæpe offendি te. O misericors, & miserator Domine! quoties abluisti me, & ego me rursus inquinavi! O quanta hæc est ingratitudo, in medicum toties sanantem, toties furiosorum more violentas manus injicere,

& Patrem indigno filio toties ignoscen-  
tem , tot novis afficere injuriis ! Posse  
utique mi Deus , & justè posses , vel hac  
sola de causa longè facere miserations  
tuas à me ; sed in memento , quia multæ  
sunt. Si adjeci peccatum super pecca-  
tum , tu miserationem adjice super mi-  
serationem. Amplius lava me ab ini-  
quitate mea.

Nōsti Domine Deus meus , qui sic ju-  
stè , sed misericorditer punis , quòd eti-  
amsi deleveris culpam peccati mei , ad-  
huc manent in me perniciosi ejusdem ef-  
fectus. Inde enim est , quòd tantam ex-  
perior in carne mea corruptionem , &  
concupiscentia mea tam fortiter pugnat  
adversus spiritum meum. Atque hæc  
est pars onerosæ hæreditatis ex peccato  
primi parentis , etiam post remissam cul-  
pam in filiis permanens. Sed ego ipse  
propria voluntate peccando auxi malum ,  
ac morbo vires addidi. Quis ab his pec-  
catorum reliquiis liberabit me , nisi gra-  
tia tua , ô Pater misericordiarum , per  
JESUM Christum Dominum nostrum ? Er-  
go amplius lava me , amplius munda me ,  
amplius animam meam sana. Non mihi  
fatis

satis est recepisse vitam, cupio & pulchritudinem, & ornatum recipere: & cum sanaveris vulnera mea, sana etiam cicatrices meas.

*Quoniam iniquitatem meam ego cognosco: Et peccatum meum contra me est semper.*

**Q**uid faciam, ô Deus! cui proprium est misereri semper, & parcere? quid faciam, ut mihi impendas misericordiam? Non habeo, quod offeram tibi, nisi Confessionem meam, & lacrymas pœnitentiæ. Iniquitatem meam ego cognosco. Si clementiam imploro, justitiae tuæ me reum sisto. Misericordia tua est, quod peccanti ignoscis; justitia est, quod peccata punis. Rogo benignissime Domine, parce peccatori: nec tamen volo, ut peccatum impunitum remaneat. Ego illud puniam per pœnitentiam, ne tu punias per vindictam.

*Peccatum meum contra me est semper.*

**H**Æc ejus pœna sit, ut perfectè odiō oderim illud, sítque ipsum contra me, & ego contra ipsum. Utinam nun-

quam fuisset malum illud, quod vitam  
abstulit animæ meæ! Nunquam te offendissem,  
o infinita Bonitas! o immensa  
Pietas! Nunquam fuisset creatura illa,  
propter quam à te Creatore recessi. Quod  
patravi malum, semper contra me ver-  
satur, & continua ejus memoria, conti-  
nua mihi causa doloris est. Nunquam  
in æternum me peccare delectet, quia  
iniquitatem odio habui, & abominatus  
sum, legem autem tuam dilexi.

*Tibi soli peccavi, o malum coram te  
feci: ut justificeris in sermonibus  
tuis, o vincas, cum judicaris.*

**M**agna est gloria, quam peccando  
amisi. Magna, & horrenda sup-  
plicia, quæ promerui. Ob hoc tamen  
maximè doleo, quia tibi soli peccavi.  
Tibi, qui solus es Sanctus, solus Domi-  
nus, solus Altissimus. Tibi, qui in temet-  
ipso summè bonus es. Tibi soli peccavi,  
qui, cum sis solus, & unus Deus; tamen  
quot vitiis meipsum subdidi, tot recen-  
tes, & alienos mihi constitui Deos; quot  
peccatis servivi, totidem me Dominis  
subjeci. Sed nusquam bene mihi fuit  
absque

absque te solo : & dum malè mihi esset extra te, agnovi justitiam tuam, & vi-  
ctus sum justō judiciō tuō.

**J**USTUS es tu Domine, si disputem tecum : & si argueris me, non habeo, quod respondeam Apud te victoria est, ut justificeris in sermonibus tuis. Verum tamen loquar ad te, qui audis contritos corde : loquar in amaritudine animæ meæ. Dicam tibi Domine, qui plasmasti me, ut recorderis, quoniam pulvis sum ; ut miserearis mei, quoniam infirmus sum. Et unde infirmitas ista ?

*Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum : Et in peccatis concepit me mater mea.*

**A**NTEQUAM nascerer, venundatus eram : & quamvis non innocens, tamen ignorans in lacum missus fui, Eheu quomodo aggravat animam corpus istud, quod corrumpitur ! Quousque deprimit terrena inhabitatio sensum multa cogitantem ? Sed nolo accusare concupiscitiam, ut meam excusem malitiam. Etsi infirmus sum, tu tamen præstd es, qui sanas

fanas omnes infirmitates meas. Non co-  
actus peccavi, sed voluntariè. Si caro  
prævaluit, culpa mea est. Iniquitatem  
meam ego cognosco.

*Ecce enim veritatem dilexisti: incer-  
ta, & occulta sapientia tuæ ma-  
nifestâsti mihi.*

Sic enim facilius obtinebo misericor-  
diam, si veritatem loquor, & peccata  
mea non abscondam. Timeo enim in-  
certa illa, & occulta sapientiæ tuæ. O  
quàm certa imminet mors, & quàm in-  
certa mortis hora ! Quàm certum est  
pœnitentibus te veniam promisisse, tam  
est incertum, utrùm peccantibus crasti-  
num diem, & spatiū pœnitendi datu-  
rus sis. De his incertis, de his occultis,  
quid manifestâsti mihi, ô lux mea, quæ  
me illuminas, ne obdormiam in mor-  
te ? Quid ostendisti mihi de his secretis  
tuis, nisi agendam pœnitentiam, dum  
tempus est, nec de die in diem differen-  
dam esse emendationem ? Modò ergo  
dum sanus sum, hac ipsa hora, hoc mo-  
mento faciam, quod moriturus fortasse  
facere non potero. Quis autem emun-  
dabit

dabit conscientiam meam, nisi tu fons  
omnis puritatis?

*Asperges me hyssopo, et mundabor:  
lavabis me, et super nivem de-  
albabor.*

**H**Yssopus herba humilis est, sed me-  
dicinalis. Per hanc, ô Pater æter-  
ne! Christi filii tui humilitas commenda-  
tur. Nempe fasciculus hyssopi factus est  
Dilectus meus mihi: quidquid abjectum,  
quidquid humile, quidquid durum, &  
amarum pro me passus est Unigenitus tu-  
us, totum in salutem meam collegisti:  
talique fasciculô, in sangvine ejusdem  
intinctô, asperges, & mundabis me.

Humilitas Christi mundat, humilitas  
Christi lavat. Nam de guttulis pretiosi  
sangvinis, quibus aspergor, fiet mihi bal-  
neum, quô lavabor. Si tamen lacrymas  
meas affudero; si fecero, quod se factu-  
rum David promisit, ubi ait: Lavabo  
per singulas noctes lectum meum; la-  
crymis meis stratum meum rigabo. Tunc  
verè fiet, quod sequitur:

*Auditui meo dabis gaudium, & latitiam : & exultabunt ossa humiliata.*

**A**udiam enim Redemptorem meum non contra me, sed pro me loquenter. Audiam vocem Sangvinis Domini mei JESU Christi clamantis ad Patrem : non vindictam, sed misericordiam postulantis. Audiam totius humani generis Advocatum apud Patrem pro me interpellantem. Hinc meritô gaudebit anima mea, hinc exultabunt ossa mea, & fortitudo mea revirescet. Vitam enim, & vires, quas peccatum sustulit, pœnitentia reddit.

*Averte faciem tuam à peccatis meis : & omnes iniquitates meas dile.*

**N**on avertas faciem tuam à me, sed à peccatis meis. Nam si à me faciem tuam averteris, peribo ; si autem à peccatis meis, illa delebuntur. Ne memineris. Domine iniquitatum mearum, quia illarum ego reminiscor in amaritudine animæ meæ. Ego me reprehendo, ego dijudico meipsum, ut, cum venerit Judex

**J**udex meus, non inveniat, quod reprehendat; non habeat, quod condemnet. Planè alius ero ab eo, qui fui, postquam deleveris omnes iniquitates meas. Non jam amplius peccator ero, sed justus, cùm per gratiam tuam renovaveris me. Mutabor in virum alium, cùm insiluerit in me spiritus.

*Cor mundum crea in me Deus: Et  
spiritum rectum innova in viscere-  
ribus meis.*

**O** Creator meus, qui me de nihilo fecisti! cùm recessi à te, iterum ad nihilum redactus sum, & nescivi. O Verbum! per quod facta sunt omnia; & finè quo factum est nihil. O via, veritas, & vita mea! quando declinavi à te, utique sinè te factus sum nihil. Nova itaque creatione opus est, ut ex nihilo aliquid fieri; ut rursus incipiam esse, quod tunc eram; cùm per charitatem tu essem in me, & ego in te. Cor mundum crea in me: non enim præcedit in me aliquid, unde queam renovari; sed tu nova facis omnia, cùm de peccatore iustum facis. *Crea in me cor mundum,*  
quia

quia soli mundo corde te DEUM videntebunt.

*Spiritum rectum innova in visceribus meis.*

**I**n veterata erat, atque curvata rectitudine spiritus mei. Quomodo enim rectus esse potuit spiritus, qui carni servivit, cui dominari debuit? Subversum est cor meum in memetipso, quia ad terrena incurvavi me, qui sola cœlestia aspicere debui, & desiderare. Tu, qui dulcis es, & rectus Dominus, cui innocentes, & recti adhærent, erige me in superna, ut experiar intus in anima mea, & labiis exultationis loquatur os meum. Quām bonus Israël Deus: his, qui recto sunt corde.

*Ne projicias me à facie tua: Et Spiritum Sanctum tuum ne auferas à me.*

**O**Rex pacifice, cuius vultum desiderat universa terra! Cūm cor mundum creaveris in me, non timebo vultum iræ tuæ, sed delectabor in illuminatione vultus gratiæ tuæ, sperans, quod aliquando adimplebis me latitiâ cum vultu gloriæ tuæ.

tuæ. Fugiant à facie tua , qui oderunt te. Ego autem diligam te Domine , & videbo te. Jam pœnitens cor meum tibi dicit: Exquisivit te facies mea , faciem tuam Domine requiram. Jam ad te conversa anima mea nihil sic timet , quām iterum projici à facie tua. Ne projicias me , hoc est , ne permittas me iterum labi in peccatum , ut projici merear.

Et Spiritum Sanctum , per quem diffusa est charitas in corde meo , nunquam auferas à me. Ipsius donum est pœnitentia , quam ago ; ipsius donum est reconciliatio , quam obtineo ; ipsius donum est charitas , quam recipio. Illud ne auferas à me , ut usque in finem vitæ meæ non desinam agere pœnitentiam ; ut nunquam amittam reconciliationis gratiam ; ut in æternum manente in me possideam charitatem.

*Redde mihi letitiam salutaris tui: Et  
Spiritu principali confirma me.*

**N**olo gaudium mundi , quod vanum est ; respuo delectationem carnis , quæ sordida est. Heu mihi Domine ! qui aliquando ista seßatus sum ; & dum talibus

bus delectarer, non poterat in me locus  
esse lætitiae salutaris tui. Nunc autem  
redde mihi lætitiam, ut deinceps dicere  
possim: Ego autem in Domino gaudebo,  
& exultabo in JESU meo. Spiritu prin-  
cipali confirma me, ut non amplius do-  
minetur mihi omnis injustitia.

*Docebo iniquos vias tuas: Et impii  
ad te convertentur.*

**D**eus! cui meritò servit omnis creatu-  
ra, infelix ego, & ingratus subtra-  
xi me servitio tuo, & inobediens impe-  
rio tuo dixi: Non serviam. Ecce nunc  
iterum servus tuus sum, méque totum  
restituo tibi. Sed utinam cum augmento  
reddam furtum, quô tuam tibi gloriam  
rapui! utinam abundanter satisfaciam pro  
inuria, quam tibi intuli! Docebo itaque  
iniquos vias tuas, qui fueram & ipse ini-  
quus. Quantùm in me erit, conabor &  
alios tibi servos adducere, plures tibia-  
nimas lucrari. Quod si non potero per  
verbum prædicationis, fiat saltem exem-  
plô bonæ conversationis. O quam multis  
vita mea pristina scandalo fuit! Da mihi  
ô Deus meus! ut ex nunc nova vita mea,  
fiat

fiat impiorum doctrina ; & quibus pec-  
candi occasionem præbui, capiant dein-  
ceps ex me sinceræ conversionis docu-  
menta. O si liceat totum mundum in  
amorem tui rapere !

*Libera me de sanguinibus Deus, De-  
us salutis meæ : Et exultabit lin-  
va mea justitiam tuam.*

**T**U scis Domine improperium meum,  
& confusionem meam : quia non ha-  
bitat in carne mea bonum. Nôsti, quia  
peccata mea de corruptione carnis, &  
sangvinis veniunt. Libera me ab hac  
corruptione. Et si in hac vita non peni-  
tùs me liberas, adde saltem vires, ut sic  
pugnem adversùs carnem & sanguinem,  
ne regnet peccatum in corpore meo mor-  
tali, ut obediam concupiscentiis ejus.  
Tunc gratias aget tibi cor meum, tunc  
deprædicabit lingua mea justitiam tuam.

*Domine labia mea aperies : Et os  
meum annuntiabit laudem tuam.*

**Q**Uamdiu enim subjacebo pravis desi-  
deriis meis, non erit mundum os  
meum, nec lingua mea idonea ad lau-

dandum nomen tuum. Munda igitur cor meum , & labia mea , ut illud quidem possideat te, ista laudent te. Sic ex abundantia cordis loquetur os meum , & annuntiabit laudem tuam. Laudem inquam tuam , quia creatus sum ; quia , ut confiterer , jam monitus sum ; quia peccans non derelictus sum ; quia , ut securus essem , mundatus sum : præcipue autem laudem illam tuam annuntiabit os meum , quod etiam peccatoribus ignoscis : & quam Propheta pronuntiat : Svavis Dominus universis , & miserationes ejus super omnia opera ejus.

*Quoniam si voluisses Sacrificium, de-  
dissem utique : holocaustis non de-  
lectaberis.*

*Sacrificium Deo spiritus contributatus:  
cor contritum, & humiliatum De-  
us non despicies.*

**N**on vis à me sacrificium immolati pecoris , prout olim in veteri Testamento ; sed Sacrificium contriti , & humiliati cordis. Habeo intus in me , quod tibi offeram : habeo in me , quod occi-

occidam. Sunt intus in corde meo desideria noxia : de illo corde exeunt cogitationes malæ ; ibi fons est , & origo omnium vitiorum. Sed , & caro mea identidem suggerit, quod fontem illum cordis corruptit. Occiduntur itaque prava desideria , immolentur vitia , & placebit tibi, ô Deus ! Sacrificium justitiae. Hoc enim justum est, ut moriatur in me vetus homo , & novus vivere incipiat. Nemo autem novam vitam incipit , nisi quem veteris pœnitet. Cor contritum , & humiliatum D E U S non despicies.

*Benignè fac Domine in bona voluntate tua Sion : ut ædificantur muri Jerusalēm.*

**N**on agitur vera pœnitentia , nisi in unitate veræ Ecclesiæ : & ideo benignè fac Domine in bona voluntate tua. Fac nobiscum misericordiam , ut omnes tanquam lapides vivi superædificemur super fundamentum Apostolorum , & Prophetarum , ipso summo angulari lapide Christo J E S U . Oro te Rex Sanctorum , Custos , & Ædificator Jerusalēm civita-

tis supernæ, ut congreges omnes gentes  
in unitatem fidei, ut colligas dispersos.  
lapides, ex quibus murorum Jerusalem,  
tum hic in terris militantis, tum illic tri-  
umphantis in Cœlo, structura perficiatur.

*Tunc acceptabis Sacrificium justitiae,  
oblationes, & holocausta: tunc  
imponent super altare tuum vitulos.*

**T**unc scilicet, cùm ædificium supernæ  
Jerusalem fuerit consumatum, erit  
& perfectum omni ex parte Sacrificium.  
Hic in spiritu hnmilitatis, & in animo  
contrito sæpe repetenda est immolatio,  
quia identidem reviviscunt vitia, denud  
rursus mactanda. Illic solum unum erit  
Sacrificium laudis, una sola victima cha-  
ritatis. Ibi totos nos Divinus ignis ab-  
sumet, ut toti vivamus in te Deus, &  
tu totus vivas in nobis.

*Gloria Patri, & Filio, & Spiritui  
Sancto: sicut erat in principio, &  
nunc, & semper, & in secula sa-  
culorum.*

**H**Æc erit tota occupatio Sanctorum in  
Cœlis; hæc sit tota occupatio nostra  
in

in terris, laudare te, benedicere te, glorificare te. Tibi Domine debetur omnis gloria, cuius est omne bonum. Ego autem aliquando quæsivi gloriam meam, & quantum in me fuit, conatus sum rapere gloriam tuam. Quoties peccavi, & mandatis tuis non obedivi; tibi per superbitam similis esse volui, quia tibi soli competit, nulli esse subjectum. Ecce nunc, ô magne D E U S ! & laudabilis nimis. Ecce reddo tibi gloriam tuam, & utinam omnes injurias, quibus tot impii, tot blasphemii, tot infideles, quotidie nomen sanctum tuum laceſſere non verentur, continua laude tua resarcire possem ! Reple igitur os meum laude, ut hic in æternum cum Sanctis tuis canam : Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto.

### GEMITUS AMORIS.

**D**iligam te Domine, virtus mea. Diligam te Deus meus, Adjutor meus. Diligam te pro dono tuo, & pro modulo meo. Diligam te, non quantum debeo, sed quantum potero; & si parum est, quod potero, plus potero, cum plus donare volueris. Nunquam tamen tan-

tum potero , quantum te decet , ac dignus es

**D**iligam te Domine ex toto corde meo,  
ex tota anima mea, & ex tota mente mea. Diligam te ex omnibus viribus meis. Ad hoc intellectus meus cognoscat te , ad hoc memoria mea cogitet te, ut volutas mea te amplectatur , ac diligit. Nesciat intellectus meus omnia praeter te ; non teneat memoria mea , nisi te ; non sapiat appetitui meo quidquam extra te , ut voluntas mea nihil desideret , nisi te. Tu solus sis intellectus illustratio , memoriae occupatio , appetitus repletio , voluntatis affectio.

**D**iligam te Domine cum omnibus , qui diligunt te , & in unione omnium illorum affectuum , quibus omnes Sancti , & Electi , omnes Angeli , imprimisque Beatissima Virgo MARIA , sine interrupzione feruntur in te , immo rapiuntur in amorem tui ; ego vel a longe trahi cupio ad te. Sit omnibus amantibus te cor unum , & anima una ; & si modicus est in me fervor dilectionis , aliorum abundantia meam suppleat inopiam.

Dili-

**D**iligam te Domine , & pro iis , qui non diligunt te : qui seipso avertentes à te incommutabili bono , ad hæc infima , & mutabilia bona convertuntur . Væ illorum perverso amori ! væ stultissimo errori ! quō putant se pulchrius aliquid invenire , & amare posse , quam te , a quo est omnis pulchritudo ! Utinam ones non amantes te ad amandum te reducere possem !

**D**iligam te Domine & pro illo tempore , quo ego ipse aliquando tam infelix fui , ut non dilexerim te . Eheu quam serò te amavi , pulchritudo tam antiqua , & tam nova ! Serò amavi te : vae tempori illi , quo non amavi te ! Accende me ô charitas Deus meus ! accende me , ut nunc , & usque in æternum amem te .

**E**cce Deus Conditor meus , qui omnia , non solum in sapientia , verum etiam in bonitate tua fecisti ; video in omnibus , etiam irrationalibus , & insensibilibus creaturis tuis aliquod amoris vestigium . Feruntur enim ad te tali pondere , ac naturali propensione , ut faciant verbum tuum ; & hoc faciendo , undique clament

ad me, ut amem te, nec cessent clama-  
re omnibus hominibus, ut sint inexcusabiles. Ecce ego creatura, Deus meus,  
amo te, qui fecisti me. Amo te, initium  
meum, & finis meus: amo te, quia  
creasti me, & direxisti me ad te. Da,  
ut nunquam amem præter te aliquid eorum,  
quæ fecisti propter me.

**D**iligam te Domine, non solùm, quia  
creasti me, quomodo cæteras insen-  
sibles, & irrationabiles creaturas tuas;  
verùm etiam, quia rationem, & intelle-  
ctum dedisti mihi, ut cognoscam te, co-  
gnoscam me. Neque enim subsisto tan-  
tum, vivo, respiro, sed & scio, non ali-  
unde me subsistere, vivere, ac respirare,  
quam ex dono tuo, qui fecisti me, &  
conservas me. Amo igitur te, quia novi  
me opus manuum tuarum esse. Clamat  
enim mihi, & omnibus, innata, & non  
ignota ratione justitia, quia ex me toto  
illum diligere debeo, cui me totum de-  
bere non ignoro.

**S**Ed, ô Deus! illuminatio mea, & sa-  
lus mea! nónne & aliam mihi lucem  
accendere voluisti, quando per donum  
fidei

fidei te mihi revelâsti ? Per hanc lucem agnosco te unum verum Deum, Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum : agnosco liberalissimum remuneratorem bonorum, & justissimum vindicem malorum. In hac luce ostenditur mihi, ô Pater æternæ, immensa pietas, & inæstimabilis charitas tua, quâ, ut servum liberares, Filium tradidisti : Innotescit mihi Filii tui ineffabilis benignitas, quâ pro me redimendo factus homo, Crucis subire supplicium non dubitavit. Relucet admiranda bonitas Spiritus Sancti, cuius gratia in cor meum diffusa, hæredem tuum, & co-hæredem Filii tui me fore confido. Pro his omnibus, quid tibi Deo meo rependam, nisi ut amem te ?

**H**Æc tanta in me beneficia tua æternum exigunt amorem. Sed etsi nihil eorum præstitteres; adhuc summò amore dignus es, quia summè bonus es. Ratio amandi te, tu ipse es, quia summa perfectio es. Quis capiat, ô incomprehensibilis Bonitas ! quid sit illud, quod dicimus summum Bonum ? Si ergo nec intellectus capit, nec lingua exprimit, hoc solùm ex intimo corde proferam : Amo te, quia Deus es. Amen.

Pie

*Pia Oratio ad S. Spiritum  
pro remissione peccatorum, & gratiis  
spiritualibus impetrandi,*

**M**isericordissime, piissime, ac benignissime Deus, Consolator, & Amator noster: ignosce, & condona nobis peccata nostra. Exurat nos, illuminet nos, inflammet nos lux tuæ visitationis, ut ab omni peccato puri efficiamur, & alieni. Imple, & confirma nos septem donis tuis, inextinguibilique gratia tua Spiritus S Deus; & hoc ipsum nunc operare in cordibus nostris, quod olim in vasis tuis electissimis Christi Apostolis in die Pentecostes operari dignatus es; ut, quidquid tu non es, in nobis pereat, & tui amor castissimus nos omnes inebriet, transformet, atque in te absorbeat. Am.

*Oratio in afflictione.*

**O**Dulcissime Domine JESU Christe, verus Deus! qui de finu summi Patris Omnipotentis missus es in mundum peccata tollere, afflictos redimere, in carcere positos solvere, dispersos congregare, peregrinos in suam Patriam reducere,

cere, contritis corde misereri, dolentes,  
& lugentes consolari. Dignare Domine  
JESU Christe absolvere, & liberare me fa-  
mulum tuum N. de afflictione, & tribu-  
latione, in qua positus sum. Et tu Do-  
mine: qui genus humanum, in quantum  
homo à Deo Patre omnipotente in custo-  
diam recepisti, & ex pietate tua crudeli  
Passione nobis Paradisum pretioso sangvi-  
ne tuo mirabiliter mercatus es; & inter  
Angelos, & homines pacem fecisti: Tu  
Domine JESU Christe, digneris inter me,  
& inimicos meos stabilire, & confirmare  
concordiam, & pacem; & gratiam tu-  
am super me ostendere, & infundere mi-  
sericordiam tuam; & omne odium, &  
iracundiam inimicorum meorum, quam  
contra me habent, digneris extingve-  
re, & mitigare; sicuti iracundiam, &  
odium Esau abstulisti, quod habebant ad-  
versus Jacob fratrem suum; ita Domi-  
ne JESU Christe super me famulum tuum  
N. brachium tuum, & gratiam tuam  
extendere, & me liberare digneris ab  
omnibus me odientibus. Et tu Domine  
JESU Christe, sicut liberasti Abraham de  
manibus Chaldaeorum, & filium ejus Isaac  
ab

ab immolatione Sacrificii cum ariete, & Jacob de manu Esau fratri sui, & Joseph de manu fratrum suorum, Noë per arcam diluvii, & Lot de Civitate Sodomorum, famulos tuos Moysen, & Aaron, & populum Israëlem de manu Pharao-nis, & de servitute Ægypti; David Regem de manu Saulis, & Goliath gigantis; Susannam de falso crimine, & testi-monio; Judith de manu Holofernisi; Da-nielem de lacu Leonum; tres pueros Sy-drach, Misach, & Abdenago de cami-no ignis ardentis; Jonam de ventre Ce-ti; & filiam Chananææ, quæ erat cru-ciata per Diabolum; & Adam de pro-fundo puteo inferni, cum pretiosissimo sangvine tuo; & Paulum de mari, & Petrum de vinculis. Ita me famulum tuum N. dulcissime Domine JESU Christe Fili Dei vivi, liberare digneris ab omnibus inimicis meis, & succurrere in adjutorium meum per sancta beneficia tua, per S. Incarnationem tuam, quam accepisti ut homo de Virgine Maria. Per sanctam Nativitatem tuam, per famem, & sitim; per frigus, per calores, per labores, & afflictiones, per sputa, per ala-

alapas, per flagella, per clavos, per lanceam, & spineam coronam, per potationem fellis, & aceti; per sævissimam mortem Crucis, per septem verba, quæ pendens in Cruce dixisti, scilicet Deo Patri omnipotenti: Ignosce illis, quia ne-sciunt, quid faciunt. Dixisti Domine La-troni in cruce pendenti: amen, amen dico tibi: hodie mecum eris in Parady-so. Dixisti Domine Patri tuo: Eli, Eli, Lamasabathani; quod est interpretatum: Deus meus, Deus meus, ut quid dere-liquisti me? Dixisti Domine, Matri tuæ: Mulier, ecce Filius tuus: Deinde Di-scipulo: ecce mater tua; ostendens cu-ram te habere tuorum amicorum. Dixi-sti Domine: sitio; scilicet salutem ani-marum sanctorum, quæ in limbo fue-runt, & nostram cupiendo. Dixisti Do-mine Patri tuo: in manus tuas commen-do spiritum meum. Dixisti Domine: con-sumatum est; significans laborés, & do-lores, quos pro nobis miseris suscepisti, jam finiri. Propter hoc etiam rogo te, Redemptor Domine JESU Christe, ut me famulum tuum custodias ab hoste mali-gno, & ab omni periculo, hic in præ-senti,

senti, & in futuro. Defende per descensionem tuam ad inferos, per sanctam resurrectionem tuam, & frequenter Discipulorum tuorum consolationem ; per admirabilem ascensionem tuam, per adventum Spiritus S. Paraclyti, in die tremendi judicii, per haec omnia exaudi me Domine, quia tu me fecisti ex nihilo; tu produxisti me, & contra diaboli tentationem me præmuniisti vitam æternam promittendo. Propter ista, & omnia alia, quæ oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit; rogo te dulcissime Domine JESU Christe, ut ab omnibus periculis animæ, & corporis pro tua pietate, misericordia, me famulum tuum N. nunc, & semper liberare, & post vitæ hujus cursum ad Deum vivum, & verum me perducere digneris. Qui vivis, & regnas in sæcula sæculorum. Amen.

*Oratio ad Beatam Virginem  
MARIAM tempore tribulationis  
dicenda.*

**O** Domina mea Virgo, & Mater ! adjuva me, qui ad te in maximis necessitatibus recurro ; succurre mihi Mater

ter mea : ignarus, quā me in his angustiis, & molestiis convertam, ad te confugio. Suscipe me benignissima Mater, nōsti enim, quomodo parvuli, cūm illis irascitur pater, cūm illos à se rejicit, & percutit, sub umbram matris piæ confugiant, quæ mille cum blanditiis eos amicis ulnis amplectitur. O Mater mea dulcissima adjuva me ! an non vides Mater mea, quomodo à Patre vapulem, & percutiar ? an nescis, quantum mihi irascatur ? an ignoras, quanto impetu me justè repellat, & abjiciat ? O Mater mea, ô mea Mater, ad te recurro, ad te confugio, ab ira ejus tu me protege. Ah ! an non cernis, quām justè peccatis meis irascatur ? nōnne plagas, & vulnera mea vides ? an te latet, quōd me filium suum deditur. Ad te Mater mea, refugium meum, ad te maxima cum securitate, & confidentia me recipio. O Beatissima Virgo MARIA, pro tua benignitate adjuva omnes tribulatos, ut semper me adjuvisti, & consolata es in omnibus meis angustiis, & tribulationibus meis. Amen.

*Pro pauperibus, & miseris  
ad extremam fere calamitatem  
redactis P. Canisii.*

DEUS, refugium pauperum, fortitudo laborantium, præpotens lugentium consolator! immensæ misericordiæ tuæ commendamus miseros, & calamitosos, ubicunque gentium degant, quorum numerum, angustias, & æruinas ineffabiles tu solus agnoscis, & perspicis: & quoniam Pater desolatorum existis, ne despicias quæso, gemitus, lacrymas, clamores, dolores, angores, desideria tot populorum, viduarum, orphanorum, captivorum, exulum, peregrinorum, sive justè, sive injustè maximis calamitatibus objiciantur, adeoque cùm morte acerbâ conflentur. Parce illis Domine, quia tempus miserendi venit: aperi illis viscera misericordiæ tuæ, quite invocantibus Israëlitis, ac aliis, tam multa non solum promittere, sed etiam liberaliter offerre, & præter omne meritum sæpe donare dignatus es. Errantes in viam redeant: exules Patriæ; infirmi sanitati; peregrinantes portui suo resti-

restituantur: partem suam cum latrone illo habeant, qui tametsi sero pœnitentiam ageret, tamen Filium tuum habuit Consolatorem, ab eo etiam Paradysi gaudiis exhilaratus. Tu Patre Abraham clementior, Lazaros in paternum sinum recipere, & in cruce ipsa consolare, ut misericordia tuae præsidiis refocillati, adversa cuncta propter te levius, & constantius ferant, tuamque præsentem opem, & confortationem Angelicam, tum saepe alias, tum in in morte ipsa experiantur. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

### *Oratio tempore belli, ex Sacra Scriptura desumpta.*

Domine, Domine Rex omnipotens, in ditione enim tua cuncta sunt posita, & non est, qui possit tuæ resistere voluntati, si decreveris salvare Israël. Tu fecisti Cœlum, & terram, & quidquid Cœli ambitu continetur. Dominus omnium es, nec est, qui resistat Majestati tuæ. Et nunc Domine Rex Deus Abraham miserere populi tui, quia volunt nos inimici nostri perdere, & hæreditatem

tatem tuam delere. Ne despicias partem tuam, quam redemisti tibi de Ægypto. Exaudi deprecationem meam, propitius esto forti, & funiculo tuo, & converte luctum nostrum in gaudium, ut viventes laudemus nomen tuum Domine, & ne cludas ora canentium te, Domine Deus noster.

### *Pro Inimicis nostris.*

JUSSISTI mitissime Pater, nos te pro iis orare, qui nobis malè cupiunt; & quatenus possunt, malè faciunt, idque non verbis solum, sed factis etiam tuis ad imitationem nobis propositis sanxisti: Oramus te, ut Spiritum nobis infundas tuæ mansuetudinis, quo inimicorum & malevolentiam, & maledicentiam, & maleficia patienter toleremus, sicuti & fecisse te accepimus, & quotidie facere animadvertisimus: nec opere reponamus injuriam, nec verbis ultionem usurpemus, nec optemus animô; ut verè filii tui simus, qui pluis super justos, & injustos, & qui Patrem pro crucifixoribus exorâsti in Cruce. Ne perdas illos Domine propter odium nostri, sed serva potius

tiùs propter nostras petitiones : emendationem illorum cupimus Domine , non perditionem : fac , ut h̄ic per amorem mutuum conjuncti incipiamus concordes ingredi viam, quæ dicit ad civitatem cœlestem , in qua perpetuò nobiscum invicem fruamur in charitate tua. Amen.

*Antiqua, & devota oratio in  
communibus Reipublicæ Christianæ  
necessitatibus dicenda.*

O Mnipotens sempiterne Deus , Pater misericordiarum , & Deus totius consolationis : ad te nos miseri peccatores in angustiis , & necessitatibus nostris humiliter configimus. Etenim gravibus miseriis , & calamitatibus populus Christianus premitur ; variis plagis , ac tribulationibus affigitur. Sectæ , & Hæreses turbant Ecclesiam ; Rebelles adversus Magistratus tum Ecclesiasticos , tum Civiles excitantur. Bella , seditiones , tumultus , innoxii sangvinis effusiones per universam Christianam Rempublicam paſſim grassantur , ideoque multæ animarum myriades , pretiosissimo Sangvine Unige-

niti Filii tui JESU Christi redemptæ, temporalis pariter, ac æternæ salutis iacturam miserè patiuntur. Nos verò quid dicemus ad hæc ? O Domine Deus ! justus es Domine , & rectum judicium tuum : omnia , quæ nobis immittis adversa , non nisi justissimæ iræ tuæ flagella esse cognoscimus ; visitas enim in virga iniquitates nostras , & in verberibus peccata nostra , quibus Divinam Majestatem tuam gravior offendimus. Peccavimus in Cœlum Domine , & malum coram te fecimus , unde indignos nos quoque fatemur , qui compareamns ante conspectum tuum , aut oculos nostros in Cœlum ad te levemus.

**V**Erūm ô Domine ! noli sic attendere malitiam nostram , ut obliviscaris bonitatem tuam : justus quidem es Domine , sed miserationes tuæ super omnia opera tua : Si enim iniquitates observaveris Domine , quis sustinebit ? Mitiga ergo clementissime Deus rigorem justitiae tuæ , & non secundùm peccata nostra facias nobis , neque secundùm iniquitates nostras retribuas nobis ; sed secundùm multitudinem miserationum tuarum averte faciem à peccatis nostris.

Pœni-

Pœnitet nos tam graviter in te peccâsse,  
 & indignationem tuam tam enormiter in  
 nos provocâsse : ideóque corde contrito,  
 & humiliato ad thronum gratiæ, & bo-  
 nitatis tuæ confugimus, & nos coram te,  
 non quidem nostris meritis, sed tuis mul-  
 tis miserationibus confidentes, humili-  
 mè procumbimus, petimusque, ut con-  
 vertas iram tuam à nobis, & non tradas  
 bestiis animas confitentium tibi ; neque  
 sanctam, & eleætam hæreditatem tuam  
 propter transgressiones nostras, hostium  
 fauibus objici patiaris.

**R**espice in faciem Christi tui, qui il-  
 lam tibi effusione pretiosissimi San-  
 gvinis sui acquisivit : memor esto pro-  
 missionis tuæ, & fœderis tui, quod cum  
 electis tuis iniisti, quodque per pretio-  
 sam dilectissimi Filii tui JESU Christi Re-  
 demptoris nostri mortem, & purpureum  
 ejus Sangvinem consignatum est. Respi-  
 ce ad honorem nominis tui, quod super  
 sanctam civitatem tuam, & populum tu-  
 um invocatum est, quodque in eodem  
 agnoscitur, & collaudatur ; at verò ab  
 inimicis tuis per summum nefas violatur,  
 despicitur, & profanatur.

**Q**uia verò ex nobis ipsis haud digni-  
sumus, qui clementiæ tuæ curam,  
& opem sentiamus; ostende nobis misericordiam tuam propter temetipsum ô Domine,  
& propter gloriam nominis tui libera nos, & propter inexhaustum bonitatis tuæ fontem propitius esto peccatis nostris. Moveat te quæsumus, amor ille,  
qui te movit, ut Filium tuum Unigenitum nobis redimendis totum impenderes.  
Per hunc ipsum Filium tuum JESUM Christum regamns, per acerbissimam passionem,  
ac mortem, per sanctam Resurrectionem, & admirabilem ejus Ascensionem;  
per merita quoquè, ac Patrocinia  
Sanctissimæ Matris, ac Virginis MARIAE,  
omniumque electorum, inclina aurem tuam,  
& exaudi clamorem nostrum. Aperi oculos tuos, & vide afflictionem populi tui,  
hostium tuorum dolosa, & superba  
consilia destrue, quibus lethiferum animarum virus ubique spargere, & avitam  
religionem nostram funditus evellere conantur. Leva manus tuas in superbias eorum,  
qui supra populum tuum malignaverunt consilium, & cogitaverunt adversus Sanctos tuos, ne forte dicant in gentibus,

tibus, ubi est Deus eorum? sed agnoscant, quoniam tu adjutor, & protector noster es, ulciscens in omnes adinventiones eorum.

**R**espice de Cœlo sancto tuo, & hominum corda fraude diabolica in varias seetas miserabiliter distracta, in unione fidei, pacisque conjunge. Provide Ecclesiæ tuæ, totique Reipublicæ Christianæ Prælatos fideles, & irreprehensibiles, sub quorum fide, & tutela in exteriore pariter & interiore tranquillitate sanctum Nomen tuum invocare, & prædicare possumus. Præserva nos à gravibus, & intestinis bellis, seditionibus, & tumultibus, ac iniquissima innocentium cæde. Da omnibus Christianis Principibus, Regibus, Monarchis, veram, & sinceram inter se concordiam; adde impavidum, infractumque animum, ut Ecclesiam tuam, totamque Rempublicam Christianam constantissimè defendant, & tandem de hostibus fidei gloriosissimè triumphant. E contrâ vero effunde iram tuam in gentes, quæ te non noverunt, & in Regna, quæ Nomem Sanctum tuum non invocaverunt, quæ venerunt in hæreditatem tuam, &

polluerunt templum sanctum tuum. Exurge Deus, judica causam tuam; memor esto improperiorum tuorum, dissipa gentes quæ bella volunt, hostilesque conatus in nihilum redige; ut ab omnibus inimicorum insidiis, bellorumque molestiis liberi, & in protectionis tuæ securitate restituti, in tua semper laude perseveremus. Sed quia gratiæ tuæ muneribus indigni per peccatum efficimur, excita in nobis timorem tuum, & honorem Nominis tui, ut ab omni peccato diligentissime caveamus. Illumina nos per virtutem Spiritus Sancti, & dirige gressus nostros in semitis tuis, ut non tam nostris viribus, quam tuis subsidiis innixi, viam mandatorum tuorum inofenso pede curramus, donec metam ipsam, & præmia, quæ præparasti diligentibus te, assequamur per Unigenitum Filium tuum Dominum nostrum, qui tecum vivit, & regnat cum Spiritu Sancto in sempiterna sæcula. Am.

### *Alia Oratio.*

**P**litate tua quæsumus Domine, nostrorum solve vincula peccatorum; & intercedente Beata Maria, cum omnibus San-

Sanctis tuis, nos famulos tuos, benefactores, atque loca nostra, in omni sanctitate custodi; omnésque consanguinitate, affinitate, atque familiaritate nobis coniugatos, à vitiis purga, virtutibus illustra; pacem, & salutem nobis tribue; hostes visibiles, & invisibles remove; carnalia desideria repelle; aërem salubrem, & fertilitatem indulge; amicis, & inimicis nostris charitatem largire; atque civitatem (seu locum istum) cum omnibus habitantibus in ea, ab omni peste, hæresi, infideliumque feritate, & potentia illæsam conserva; & omnibus fidelibus, vivis, & defunctis, vitam, & requiem æternam concede; & Pontificem nostrum N. Regem N. Antistitem N. & omnes Prælatos nostros, & cunctum populum Christianum ab omni adversitate custodi; & benedictio tua sit super nos semper. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

*Psalmus 90.*

**Q**ui habitat in adjutorio altissimi: in protectione Dei Cœli commorabitur.

Dicet Domino: susceptor meus es tu,  
& refugium meum: Deus meus sperabo  
in eum. Quo-

Quoniam ipse liberavit me de laqueo  
venantium : & à verbo aspero.

Scapulis suis obumbrabit tibi : & sub  
pennis ejus sperabis.

Scuto circumdabit te veritas ejus :  
non timebis à timore nocturno.

A sagitta volante in die, à negotio  
perambulante in tenebris : ab incursu,  
& dæmonio meridiano.

Cadent à latere tuo mille, & decem  
millia à dextris tuis : ad te autem non  
appropinquabit.

Verum tamen oculis tuis considera-  
bis : & retributionem peccatorum vi-  
debis.

Quoniam tu es Domine spes mea : al-  
tissimum posuisti refugium tuum.

Non accedet ad te malum : & fla-  
gellum non appropinquabit tabernacu-  
lo tuo.

Quoniam Angelis suis mandavit de  
te : ut custodiant te in omnibus viis  
tuis.

In manibus portabunt te : ne forte  
offendas ad lapidem pedem tuum.

Super aspidem, & basiliscum ambula-  
bis : & conculcabis leonem, & draconem.

Quo-

Quoniam in me speravit, liberabo eum : protegam eum, quoniam cognovit nomen meum.

Clamabit ad me, & ego exaudiam eum : cum ipso sum in tribulatione ; eripiam eum, & glorificabo eum.

Longitudine dierum replebo eum : & ostendam illi salutare meum.

Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto : sicut erat in principio, & nunc, & semper, & in sæcula sæculorum. Amen.

### O R E M U S.

**D**EUS, qui contritorum non despicias gemitum, & mœrentium non spernis affectum ; adesto precibus nostris, quas tibi pro tribulatione nostra effundimus, eàsque clementer exaudi ; ut, quidquid contra nos diabolicæ, aut humanæ moliuntur adversitates, ad nihil redigantur, & consiliô tuæ pietatis ellidantur : quatenus nullis adversitatibus læsi, sed de omni tribulatione, & angustia erepti, in Ecclesia tua tibi gratias referamus. Dimitte Domine peccata nostra, & tribue nobis misericordiam tuam, quam precamur, ut humilitatem nostram attendas, vincula solvas, delixa

Eta deleas, tribulationem inspicias, adversitatem repellas, effectumque petitionis nostræ largiaris, supplices tuos clementer exaudiias. Per Dominum nostrum, &c. Amen.

## HEBDOMAS MARIANA *DIE DOMINICA.*

**O** Sancta MARIA ! benigna Cœli Regina, Filia DEI Patris, Mater DEI Filii, Sponsa Spiritus Sancti, totius Sanctissimæ Trinitatis nobile triclinium ! A Patre electa, à Filio præservata, à Spiritu Sancto dilecta. A Patre obumbrata, à Filio inhabitata, à Spiritu Sancto omni gratiâ repleta. Per te, & propter te, benedicat mihi Deus Pater, qui me creavit ; benedicat Deus Filius, qui suo pretiosissimo Sangvine me redemit ; benedicat me Deus Spiritus Sanctus, qui me in baptismo sanctificavit ; totaque Sanctissima Trinitas tua intercessione suscipiat animam meam in hora mortis meæ.

**O San-**

**O** Sancta MARIA, Regina clementiae ! sub tuum præsidium, ac defensio-  
nis clypeum configio ; sub tegmine ala-  
rum tuarum , Maternæque protectionis  
vivere, & mori volo.

**O** Sancta MARIA, Mater pulchræ di-  
lectionis ! in hora mortis meæ sis  
mea defensio, & firmum auxilium ; ut  
confundantur, qui quærunt animam me-  
am ad perdendum illam.

**O** Sancta MARIA, dulcissima Virgo !  
nunc benedic mihi secundum ma-  
gnam misericordiam tuam ; & in dolori-  
bus mortis conforta , & consolare me ,  
secundum omnem benignitatem tuam.

**O** Sancta MARIA, potens Advocata !  
concede mihi vivere in tua Mater-  
na benedictione ; ut sub tua Virginea  
custodia feliciter moriar.

**O** Sancta MARIA, vita, & dulcedo  
mea ! effunde super me Spiritum  
gratiæ tuæ ; suscipe me in tui amoris si-  
num, & in mortis articulo benedicat mi-  
hi Anima tua.

**O** Sancta MARIA, cœlestis gloriæ Re-  
gina ! in superabundans, & inex-  
hau-

haustum tuarum gratiarum mare me demergo, inter brachia congenitæ tibi pietatis me projicio, in corde tuo habitare firmiter eligo, ibique feliciter mori opto.

**O** Sancta MARIA! JESUS, & MARIA, sit ultima vox mea, ultima invocatio. Mane mecum ô JESU! mane mecum ô MARIA! quando advesperascat ad mortem, & inclinabitur dies vitæ meæ.

**O** Sancta MARIA, Dei Genitrix Virgo! in hora mortis meæ fac me audire vocem tuam in voce exultationis, & salutis. Ostende mihi faciem tuam; vox enim tua svavis, & facies tua decora.

**O** Sancta MARIA! in hora mortis meæ DEO Patri me commenda; DEO Filio me reconcilia; DEO Spiritui Sancto me repræsenta; ut possum dicere: Benedicta sit sancta, & individua Trinitas, quia fecit mecum misericordiam suam. Amen.

### DIE LUNÆ.

**O** Sancta MARIA! Virgo Virginum, Mater DEI, & omnium, qui sunt in purgatorio; quæ animas illas tuâ præfentiâ

fentiā s̄epissimè consolaris , intercessione liberas , & Divina largiente gratia ex igne afflictionis , & aqua tribulationis ad æternum ducis refrigerium . Impetra mihi apud Filium tuum dilectum cor humile , & contritum ; intercede pro me , ut conscientiā bonā , & purā finiam vitam meam .

**O** Sancta MARIA ! Castissima Mater ! unica post Deum mea fiducia ! in qua confido ; ne derelinquas me Domina salutis meæ , ne irrideant me inimici mei , cùm angustiatus fuerit spiritus meus .

**O** Sancta MARIA , Mater inviolata ! nunc , & in hora mortis sis spes mea , cùm defecerint dies mei , & anni mei in gemitibus : quando derelinquet me virtus mea , & lumen oculorum meorum non erit tecum ; tunc exurge in adiutorium mihi .

**O** Sancta MARIA , Mater intemerata ! tua gratiæ plenitudo suppleat omnes defectus vitæ meæ . Responde pro me , quando adhærebit lingua mea faucibus meis , & in pulverem mortis ducentur ossa mea .

G.

O San-

**O** Sancta MARIA, Mater amabilis !  
roga Filium tuum, ut cum ipsis pla-  
cuerit, educat de custodia animam me-  
am ad confitendum Nomi Nostro suo ;  
& in abundantia charitatis erga Deum,  
& proximum, ita ingrediar sepulchrum,  
sicut infertur acervus tritici in tempo-  
re suo.

**O** Sancta MARIA, Mater admirabilis !  
dirige gressus vitae meae in benepla-  
cito dilecti Filii tui, ut merear bonis o-  
peribus ita abundare ; ut, cum in hora  
mortis defecero, recipiat me in æterna  
tabernacula.

**O** Sancta MARIA, Mater Creatoris !  
dignare tua intercessione sic animam  
mam Divinæ voluntati conformare ; ut  
ad ultimum usque spiritum semper di-  
cam : si vis, ut transeat anima mea, fiat  
voluntas tua.

**O** Sancta MARIA, Mater Salvatoris !  
in hora mortis meæ dic, quod Mater  
mea sis, ut bene sit mihi, & vivat ani-  
ma mea propter te. Et si contigerit, ut  
mittar in carcerem illum ardoris, donec  
solvero universum debitum ; descendat  
mecum

mecum misericordia tua, quæ in flammis me refrigeret, in tormentis soletur, ut possim dicere: secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo, consolationes tuæ lœtificant animam meam. Eja Mater, tunc ad adjuvandum me festinà, non dimittas Filium tuum, donec benedixerit mihi; & ideo universum debitum remittat mihi, quoniam rogasti illum. Amen.

### DIE MARTIS.

**O** Sancta MARIA, Regina Angelorum! quæ sola digna fuisti, salutata ab Angelo eum concipere, cui omnes Angeli famulantur; cuius mandato Angeli custodiunt nos in omnibus viis nostris, solliciti semper de communi nostra salute, ne unquam offendamus ad lapidem pedem nostrum; donec introducant nos in locum, quem præparavit nobis Dominus. Jube ergo, ut Angelus meus curam mei habeat, sollicitè custodiat hic commorantem, & hinc abeuntem; neque permittat famulum tuum inquinari; representetque animam meam in lucem sanctam, quam Deus olim Abraham promisit, & feminis ejus.

G 2

O

**O** Sancta MARIA, dignissima Virgo! anima mea te desiderat, ad te anhelat, tuam custodiam optat, nunc & in hora mortis meæ; ut te sine fine laudet, & sine fine amet.

**O** Sancta MARIA, Virgo prædicanda! tua pietas misereatur mei, & benedicat mihi, illuminet vultum suum super me, cùm angustiæ mihi undique fuerint, ne aspectu formidabili me terreat inimicus meus.

**O** Sancta MARIA, potentissima Virgo! ora quæso, Deum meum, ut à me tollat, quidquid ipsi in me displicet; adjuva me certantem contra omnes hostiles nequitias in agone finis mei.

**O** Sancta MARIA, benignissima Virgo! meum solamen, & refugium in omnibus necessitatibus meis, in hora mortis meæ sis virtus, & fortitudo mea à facie inimici.

**O** Sancta MARIA, Virgo fidelis! quæ nullum respuis, sed omnes aspicis oculis clementiæ tuæ. In manus tuas commendabo spiritum meum, quem redemit Filius tuus, qui est benedictus in sæcula.

O

**O** Sancta MARIA, speculum justitiae ! ora, ut Filius tuus justus Judex, ultimum donum faciat remissionis ante diem rationis : inter oves locum præstet, & ab hædis me sequestret ; confutatis maledictis, vocet me cum benedictis.

**O** Sancta MARIA, sedes sapientiae ! quæ semper in ore habuisti sermonem reætè sonantem : intercede pro me ; ut, cùm animæ meæ migrandum fuerit ex hoc mundo, Deus ponat inimicos meos scabellum pedum tuorum.

**O** Sancta MARIA, causa nostræ lætitiae ! lætifica animam meam in hora mortis meæ, & dic : hodie mecum eris in Paradyso. In domum Domini ibimus, lætabimur in ea, & gaudium nostrum nemo tollet à nobis.

**O** Sancta MARIA, vas spirituale ! effice me tua Intercessione vas electionis, & cor meum jugiter portet nomen JESU Filii tui ; ne sim in hora mortis meæ vas contumeliaz, vas iræ, & indignationis. Amen.

## DIE MERCURII.

**O** Sancta MARIA, gratiâ plena! Dominus tecum, qui fuit priùs tecum sanctificatione, quâm corpore. Benedicta sit hora Incarnationis Filii DEI. Benedictus, & sanctificatus dies, qui eluxit nobis, quando ambulaverunt gentes in lumine suo. Benedicti anni pueri JESU, & benedicta momenta illa, quibus proficiebat gratiâ, spiritu, & sapientiâ apud Deum, & homines. Benedicta infantia ejus, quâ subditus erat tibi, & Joseph; obediendo homini propter hominis inobedientiam erga DEUM. Ora pro me Filium tuum, ut in hora mortis meæ non sit mihi severus Judex, sed amabilis infans; qui, cùm non sit dignatus in præsepio inter jumenta decumbere, ne me respuat, quia ut jumentum factus sum apud illum.

**O** Sancta MARIA, vas honorabile! utinam per gratiâ tuam fiam vas in honorem, & laudem DEI.

**O** Sancte MARIA, vas insigne devotionis! ora, ut in odorem nominis JESU currant, & mihi accurvant ad hujus fra-

fragantiam Angelici Spiritus, qui diligunt te.

**O** Sancta MARIA, Rosa mystica! quæso, in ultima hora mortis meæ converte in rosas sentes veprium conscientiæ meæ; vulnerata sit tamen spinis doloris & contritionis (te pugnante) anima mea, ut illuc deveniat, ubi rosa non pungit, & dilectus tuus pascitur inter lilia, quamdiu durat dies felicis æternitatis.

**O** Sancta MARIA, Turris Davidica! in conturbatione, & pavore mortis sis mihi turris fortitudinis à facie inimici; sis mihi murus, & ubera tua sint pro turri, ut pacem reperiam, & requiescam in die tribulationis.

**O** Sancta MARIA, Turris eburnea! rosa in conceptione candida, & immaculata: sis refugium meum, absterge mœrores animæ meæ, cùm in felle amaritudinis erit spiritus meus.

**O** Sancta MARIA, Domus aurea! elegi abjectus esse in domo tua, quâm habitare in tabernaculis peccatorum. Fac me sicut unum ex mercenariis tuis, ut in me abundant panes gratiæ tuæ, quibus

in fine vitæ meæ merear frui illo pane Angelico, in cuius fortitudine ambulemus usque ad montem DEI.

**O** Sancta MARIA, fœderis Arca ! ora pro me, ut in hora mortis meæ Angelus meus cum clamore valido dicat Filio tuo : Exurge in adjutorium mihi, tu, & arca sanctificationis tuæ ; ut arceantur omnes, qui cogitant mihi mala. Duc in requiem tuam hanc animam, cuius curam habere voluisti.

**O** Sancta MARIA, Stella matutina ! quæ nunquam scivit occasum culpæ : in horula extrema illumina me claritate vultus tui ; & defixis in me illis tuis misericordiæ oculis, repelle à me principem tenebrarum.

**O** Sancta MARIA, Salus infirmorum ! miserere mei Filia David, cum anima mea malè à dæmone vexabitur, & famulus tuus jacebit in lecto, & malè à doloribus torquebitur. Fac ô clementissima Mater ! ut Filius tuus mihi dicat : Salus tua ego sum. Amen.

## DIE FOVIS.

**O** Sancta MARIA, Terra benedicta ! ex qua ortum est frumentum Ele-  
ctorum, & vinum germinans Virgines ; vera mensa propositionis illius panis, qui de Cœlo descendit , habens in se omne delectamentum svavitatis. Effice tua intercessione, ut salutari hoc reficiar cibô, cùm defecerit virtus mea ; ut in illius fortitudine ambulem , ubi Beati non amplius esuriunt, nec cadit super illos miseria æstus.

**O** Sancta MARIA, refugium peccatorum ! ad te configio , ne obliviscaris mei , cùm positus fuero in extremo conflietu : tunc super corpus meum , & animam meam tuæ potentiae ostende virtutem ; ut ope misericordiæ tuæ adjutus, deletis omnibus iniquitatibus meis , non delear de libro viventium.

**O** Sancta MARIA, Consolatrix afflictorum ! Consolantem me quæsivi in hora mortis meæ , & non inveni, nisi te, qui me conciliet Filio tuo : nam Filius tuus nihil negans te honorat. Cùm igitur anima mea cœperit pavere, & tædere,

& mœsta esse ; quoniam circumdant eam dolores mortis ; ad consolationem meam ostende mihi fructum ventris tui.

**O** Sancta MARIA , Auxilium Christianorum ! in hora mortis meæ impetrata mihi , ut verus Christianus in fide Catholica Apostolica Romana moriar ; ut miles Christi fortiter pugnem contra adversarios meos : & tunc exurge in adjutorium mihi , quia venit tempus , & hora mea , ut transeam de hoc mundo.

**O** Sancta MARIA , Angelorum Regina ! in hora mortis meæ succurrant mihi Angeli DEI , suscipientes animam meam , & præsentantes eam in conspectu Altissimi . Præcedat me Signifer Sanctus Michaël , & ad tribunal justi Judicis expetet me misericordia tua , quæ me defendat , placabilemque reddat dulcissimum JESUM meum ; ut non peream in tremendo judicio.

**O** Sancta MARIA , Patriarcharum Regina ! fructus benedictus Joachim , & Annæ . Benedicti sint Parentes tui ; & benedictus fructus ventris tui , dulcis JESUS . Ora pro me , ut promissum Abrahæ

hæ Regnum mihi adveniat in hora mortis meæ.

**O** Sancta MARIA, Apostolorum Regina! sicut dilectus Filius tuus te commendavit Discipulo dilecto, dicens: Fili; ecce Mater tua. Sic commenda in hora mortis meæ animam meam Filio, dicens: Ecce Fili! anima tua, quam tuo pretioso sangvine redemisti.

**O** Sancta MARIA, Regina Martyrum! excita in me perenne desiderium fundendi sanguinem meum propter amorem, & fidem Filii tui; ut in hora mortis meæ patientiam Martyrum munitus; si consistant contra me castra, non pertimescam. Tunc, rogo, doce manus meas ad prælium, & digitos meos ad bellum.

**O** Sancta MARIA, Regina Confessorum! impetra mihi donum perseverantiae, ne, mittens manum ad aratum, retrospiciam, & non sim aptus Regno D E I. Ergo in hora mortis meæ impetra mihi, ut ad promissa Filii tui incessanter currans, merear accipere bravium gloriae.

**O San-**

**O** Sancta MARIA, Regina Virginum ! qualem nec primam similem vidi natura , nec habuit sequentem : Ora DEUM meum , ut lacrymæ sint mihi panes die , ac nocte , ne Filius tuus mihi janam Cœli claudens dicat : nescio te ; sed potius : intra in gaudium Domini tui , Amen.

### DIE VENERIS.

**O** Sancta MARIA , plus quam Martyr ! per illum dolorem , quem sustinuisti , quando gladius Crucis pertransivit animam tuam , cum pro me peccatore vidisti innocentem Filium tuum morientem , qui prius te Joanni , animam verò suam in manus Patris commendavit . Quæso , commenda me in manus Filii tui , ut me abscondat inter vulnera sua ; sitque anima mea illius sanguine dealbata , & inter vulnera , tuta audiat : hodie mecum eris in Paradyso .

**O** Sancta MARIA , Regina Sanctorum omnium ! intercede pro me , ut in plenitudine perfectionis statutus mei , in quo positus sum , vivam , & moriar . Ora , ut in hora mortis meæ in plenitudine Sanctorum sit detentio mea .

O

**O** Sancta MARIA, Regina gloriae ! de qua gloriofa dicta sunt, & gloriae tuae non est finis : respice inglorium peccatorum, ne sine dolore tui offensi Filii moriens, amittam gloriam sempiternam.

**O** Sancta MARIA ! sub tuum confugio praesidium, indignas deprecationes meas ne despicias ; sed a periculis cunctis ne cunctoris me liberare in hora mortis meae.

**O** Sancta MARIA, Mater salutis nostrae ! cum anima mea, & cor meum in hora mortis clamaverit : Salva nos, perimus ! Surgat Filius tuus Crucifixus, & imperet mari afflictionum, ventis tentationum, ut fiat tranquillitas magna, quae me deducat in portum felicitatis æternæ.

**O** Sancta MARIA, gratia plena, & superfluens ! serio sit tibi commendata causa salutis meae ; animaque miseram de corpore exeuntem sic Filio tuo exhibe, ut placeat in conspectu Principis.

**O** Sancta MARIA, misericordiae Mater ! Regina clementiae ! descendat in animam meam tua Virginea miseratione, ut dulcescant amaritudines cordis mei, cum timu-

timuero in die mortis, sciens, quia iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum.

**O** Sancta MARIA, mea apud Deum maxima Patrona! illos tuos misericordes oculos ad me converte; & cor tuum misericordiæ plenum in fine dierum meorum nè longè facias à me.

**O** Sancta MARIA! ad te clamo, te suspiro, te desidero, te totis medullis cordium concupisco. Anima mea te desiderat in nocte mortis mèæ; ut te ductrice inveniat dilectum suum in meridie gloriæ, & cum ipso moretur, quamdiu durabit dies æternitatis beatæ.

**O** Sancta MARIA! tibi dicit cor meum, & loquitur in excessu dilectionis tuæ. Sileat misericordiam tuam, qui te in necessitatibus invocatam non invenierit advocatam. Considera, quia tibi derelicta est paupercula anima mea, ut sis illi adjutrix in illo momento, à quo pendet æternitas; ne Filii tui (qui me quæsivit lassus, redemit Crucem passus) tantus labor pro me sit cassus. Amen.

## DIE SABBATI.

**O** Sancta MARIA! vera lux, quæ separata fuit à tenebris: vera septima dies, quæ cœpit à manè originalis justitiae, & nunquam fuit terminata vespera alicujus peccati. O felix MARIA! qui creavit te, requievit in tabernaculo ute-ri tui. Ora dilectum Filium, ut, cùm defecerint dies mei, recipiat me in æter-na tabernacula.

**O** Sancta MARIA, Mater DEI! sicut ex ulnis Simeonis in Templo Filium tuum præsentatum iterum recepisti; ita Filius tuus tua intercessione me recipiat in hora mortis, qui sacratissima sua Cruce me redemit.

**O** Sancta MARIA! sicut Mater conso-latur filium suum; ita fer mihi opem super lectorum doloris mei; & licet non sim dignus, ut intret sub tectorum cordis mei Filius tuus, roga tamen eum, ut descendat cum gratia, & sanet ani-mam meam.

**O** Sancta MARIA, dulcissima Virgo! quemadmodum in hora mortis tuae anima tua liquefacta fuit, cùm ad cor-tuum

tuum dilectus locutus est : intra in gaudium Filii tui ; Sic ora, ut JESUS Christus Redemptor meus in agone meo non me deserat , & ego pro æterna gloria fortiter dimicans, audire merear : Veni, coronaberis.

**O** Sancta MARIA, benigna Cœli Regina ! sicut Filius tuus in Cruce pendens Dominam Servo, Matrem Discipulo commendavit, dicens : Mulier, ecce Filius tuus ; & ex illa hora te Joannes accepit in suam Matrem : Sic in hora mortis meæ commenda me Filio tuo, ut suscipiat me in servum, & custodiat Angelus Domini animam meam iterum ad suum Creatorem revertentem.

**O** Sancta MARIA ! quemadmodum Cœlestis Pater, cum Filius ejus factus homo ex te nasceretur, eundem tibi commendavit, ut curam illius ageres : eodem modo commendabo tibi corpus, & animam meam, cum discessurus sum ex hoc mundo.

**O** Sancta MARIA ! sicuti Sacratissima Trinitas purissimum Spiritum tuum à corpore excuntem cum gaudio totius curia

curiæ cœlestis exceptit : ita etiam DEUS meus tua intercessione suscipiat animam meam : Pater, qui eam creavit ; Filius, qui eam redemit ; Spiritus Sanctus, qui eam per Baptismum sanctificavit. O clemens ! ô pia ! ô dulcis Virgo MARIA !

**O** Sancta MARIA, dulcedo animæ meæ, gratiarum fons, & puteus aquarum viventium ! visceribus tuæ pietatis commendô nunc, & in hora mortis meæ totum cor meum ; in tua confido, & spero misericordia, ut cum cor meum me dereliquerit, cum defecerit virtus mea, & dies mei erunt in gemitibus, feras mihi auxilium de Sancto, & de Sion tuearis me ; Sis mihi turris fortitudinis à facie inimici.

**O** Sancta MARIA, gratosissima Filia Principis gloriae ! quæ in Cœlo amicta lumine, sicut vestimento, totum Cœlum illustras : Æterno Patri me praesenta ; Filio tuo me reconcilia ; Spiritum Sanctum pro me exora. Ne permittas me ô pia Mater ! separari à te ; ab hoste maligno defende me, & in hora mortis suscipe me,

**O** Sancta MARIA, gloriosissima Virgo;  
amantissima Christi Mater ! Corpus  
& animam meam, vitam, & spiritum,  
cor, & membra, & omnes sensus, & vi-  
res meas ; cùm adhæserit faucibus meis  
lingva mea, & in pulverem mortis de-  
ducendus ero, commenda Filio tuo : ut  
fuscipliat ultimum meum suspirium, quo  
cum corde, & animo contrito dicturus  
sum : JESUS ! MARIA ! JOSEPH !

**S**Tella maris, tot amaris pone finem  
fluctibus,  
Post duella, funde mella, Virgo melle  
dulcior.

Lamentantis bella Martis contritæ Hun-  
gariæ.

Gemunt stillæ, te pupillæ, mœroris la-  
crymulæ.

Vulneratam, cruentatam cerne Mater  
Filiam,

De cinere, de pulvere erige Pannoni-  
am.

Quamvis astra, Cœli castra te salutent  
Dominam;

Olim charam Marianam, respice Pan-  
noniam.

**Tolle**

Tolle Lunam, en coronam tuis sterno  
pedibus.

Tolle sectas profligatas Regni nostri fi-  
nibus.

Hic secura, post tot dura fulgebis in sæ-  
cula.

Tibi juro, corde puro, tibi semper servi-  
am,

Sinè labe venerabor Angelorum Domi-  
nam.

¶. Ora pro nobis S. DEI Genetrix :

¶. Ut digni efficiamur promissionibus  
Christi.

**O**Mnipotens sempiterne DEUS, qui  
gloriosæ Virginis Matris MARIÆ  
corpus, & animam, ut dignum Filii tui  
habitaculum effici mereretur, Spiritu  
Sancto cooperante præparâsti : da, ut  
cujus commemoratione lætamur, ejus  
pia intercessione ab instantibus malis, &  
à morte perpetua liberemur. Per eun-  
dem Christum Dominum nostrum. A-  
men.

CULTUS  
**MAGNÆ MATRIS  
 MARIÆ,**  
 OFFICIUM  
 B. V. MARIÆ.

*AD MATUTINUM.*

Ave Maria, &c.

- V. Domine labia mea aperies.  
 R. Et os meum annunciat laudem tuam.  
 V. Deus in adjutorium meum intende.  
 R. Domine ad adjuvandum me festina.  
 Gloria Patri, & Filio, &c. Alleluja.

*Vel à Septuagesima usque ad Pasca.*  
 Laus tibi Domine, Rex æternæ Gloriæ.  
*Invitatorium.* Ave Maria, gratiâ plena, Dominus tecum. *Repetitur.* Ave.

*PSALMUS 94.*

**V**enite, exultemus Domino, jubilemus Deo salutari nostro: præoccupemus faciem ejus in confessione: & in psalmis jubilemus ei. Ave Maria, gratiâ plena, Dominus tecum.

Quo-

**Quoniam Deus magnus Dominus, & Rex magnus super omnes Deos : quoniam non repellit Dominus plebem suam : quia in manu ejus sunt omnes fines terræ, & altitudines montium ipse conspicit. Dominus tecum.**

**Quoniam ipsius est mare, & ipse fecit illud, & aridam fundaverunt manus ejus : Venite, adoremus, & procidamus ante Deum, ploremus coram Domino, qui fecit nos, quia ipse est Dominus Deus noster, nos autem populus ejus, & oves pascuæ ejus. Ave Maria gratiâ plena, Dominus tecum.**

Hodie si vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda vestra : sicut in exacerbatione secundum diem temptationis in deserto ; ubi tentaverunt me patres vestri, probaverunt, & viderunt opera mea. Dominus tecum.

**Quadraginta annis proximus fui generationi huic, & dixi: semper hi errant corde ; ipsi verò non cognoverunt vias meas, quibus juravi in ira mea, si introibunt in requiem meam. Ave Maria, gratiâ plena, Dominus tecum.**

Gloria Patri, & Filio, &c. Dominus tecum. Ave Maria, gratiâ plena, Dominus tecum.

### HYMNS.

**Q**uem terra, pontus, sydera.  
 Colunt, adorant, prædicant,  
 Trinam regentem machinam,  
 Claustrum Maria bajulat.  
 Chi luna, sol, & omnia.  
 Deserviunt per tempora:  
 Perfusa cœli gratiâ,  
 Gestant puellæ viscera.  
 Beata Mater, munere  
 Cujus supernus Artifex,  
 Mundi pugillo continens,  
 Ventris sub arca clausus est.  
 Beata cœli Nuncio,  
 Fœcunda Sancto Spiritu,  
 Desideratus gentibus,  
 Cujus per alvum fusus est.  
 JEsu, tibi sit gloria,  
 Qui natus es de Virgine,  
 Cum Patre, & almo Spiritu  
 In sempiterna sœcula. Amen.

Tres

*Tres Psalmi sequentes dicuntur diebus Domini-  
minicis: Feria II. & V. ad Nocturn.  
Ant. Benedicta tu &c. Vide ut in fine  
Psalm.*

## PSALMUS 8.

**D**omine Dominus noster: quām admirabile est nomen tuum in universa terra.

**Q**uoniam elevata est magnificentia tua: super cōclōs.

Ex ore infantium, & lactentium perfecisti laudem tuam propter inimicos tuos: ut destruas inimicum, & ultorem.

**Q**uoniam videbo cōclōs tuos, opera digitorum tuorum: lunam, & stellas, quae tu fundāsti.

**Q**uid est homo, quid memor es ejus? aut filius hominis, quoniam visitas eum?

Minuisti eum paulò minus ab Angelis, gloria, & honore coronāsti eum: & constituisti eum super opera manuum tuarum.

Omnia subjecisti sub pedibus ejus: oves, & boves universas, insuper & pecora campi.

Volucres cōcli, & pisces maris: qui perambulant semitas maris.

Domine Dominus noster : quām admirabile est nomen tuum in unversa terra !

Gloria Patri , &c.

*Ant.* Benedic̄ta tu in mulieribus , & benedictus fructus ventris tui.

*Ant.* Sicut myrrha &c. *Vide ut in fine Psalm.*

**P S A L M U S 18.**

**C**Oeli enarrant gloriam Dei : & opera manum ejus annunciat firmamentum.

Dies diei eructat verbum : & nox nocti indicat scientiam.

Non sunt loquelaे, neque sermones: quorum non audiantur voces eorum.

In omnem terram exivit sonus eorum: & in fines orbis terræ verba eorum.

In sole posuit tabernaculum suum : & ipse , tanquam sponsus, procedens de thalamo suo.

Exultavit , ut gigas , ad currēdam viam : à summo cœlo egressio ejus.

Et occurſus ejus usque ad summum ejus : nec est , qui se abscondat à calore ejus.

Lex Domini immaculata , convertens animas: testimonium Domini fidele , sapientiam præstans parvulis.

Justi-

Justitiae Domini rectæ , læticantes  
corda : præceptum Domini lucidum , il-  
luminans oculos.

Timor Domini sanctus , permanens  
in sæculum sæculi : judicia Domini vera,  
justificata in semetipsa.

Desiderabilia super aurum , & lapi-  
dem pretiosum multum : & dulciora su-  
per mel , & favum.

Etenim servus tuus custodit ea : in  
custodiendis illis retributio multa.

Delicta quis intelligit ? ab occultis  
meis munda me : & ab alienis parce fer-  
vo tuo.

Si mei non fuerint dominati , tunc  
immaculatus ero : & emundabor à deli-  
cto maximo.

Et erunt , ut complaceant eloquia  
oris mei : & meditatio cordis mei in con-  
spectu tuo semper.

Domine , adjutor meus : & Redem-  
ptor meus.

Gloria Patri , &c.

*Ant.* Sicut myrrha , electa odorem  
dedisti suavitatis , sancta Dei Genitrix.

*Ant.* Ante torum &c. *Vide ut in fi-*  
*ne Psalm.*

## PSALMUS 23.

**D**omi*n*i est terra, & plenitudo ejus :  
orbis terrarum, & universi, qui  
habitant in eo.

Quia ipse super maria fundavit eum ;  
& super flumina præparavit eum.

Quis ascendet in montem Domini :  
aut quis stabit in loco sancto ejus ?

Innocens manibus, & mundo corde :  
qui non accepit in vano animam suam,  
nec juravit in dolo proximo suo.

Hic accipiet benedictionem à Domi-  
no : & misericordiam à Deo salutari suo.

Hæc est generatio quærentium eum :  
quærentium faciem Dei Jacob.

Attollite portas, Principes vestras,  
& elevamini portæ æternales : & introi-  
bit Rex gloriæ.

Quis est ille Rex gloriæ ? Dominus  
fortis, & potens : Dominus potens in  
prælio.

Attollite portas Principes, vestras,  
& elevamini portæ æternales : & introi-  
bit Rex gloriæ.

Quis est ille Rex gloriæ ? Dominus  
virtutum, ipse est Rex gloriæ.

Gloria Patri, &c.

*Ant.*

*Ant.* Ante torum hujus Virginis frequentate nobis dulcia cantica dramatis.

*X.* Diffusa est gratia in labiis tuis.

*R.* Propterea benedixit te Deus in æternum.

Pater noster.

*Absol.* Precibus, &c. ut infra fol.

132.

*Tres Psalmi sequentes dicuntur Feria III.  
& VI. ad Nocturn.*

*Ant.* Speie tua &c. Vide ut in fine Ps.

**P S A L M U S 44.**

**E**rustavit cor meum verbum bonum :  
dico ego opera mea regi.

Lingva mea calamus scribæ : velo-  
citer scribentis.

Speciosus formâ præ filiis hominum ,  
diffusa est gratia in labiis tuis : propterea  
benedixit te Deus in æternum.

Accingere gladio tuo super femur  
tuum : potentissime.

Specie tua , & pulchritudine tua :  
intende, prospere procede, & regna.

Propter veritatem, & mansuetudi-  
nem , & justitiam : & deducet te mira-  
biliter dextera tua.

Sagit-

Sagittæ tuæ acutæ, populi sub te carent : in corde inimicorum regis.

Sedes tua, Deus, in sæculum sæculi : virga directionis, virga regni tui.

Dilexisti iustitiam, & odisti iniquitatem : propterea unxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiae præ confortibus tuis.

Myrrha, & gutta, & casia à vestimentis tuis, à domibus eburneis : ex quibus delectaverunt te filiæ regum in honore tuo.

Astitit Regina à dextris tuis in vestitu deaurato : circumdata varietate.

Audi Filia, & vide, & inclina aurem tuam : & obliviscere populum tuum, & domum patris tui.

Et concupiscet Rex decorem tuum : quoniam ipse est Dominus Deus tuus, & adorabunt eum.

Et Filiæ Tyri in muneribus vultum tuum deprecabuntur : omnes divites plebis.

Omnis gloria ejus filiæ regis ab intus : in fimbrijs aureis circumamicta varietatibus.

Adducentur regi virgines post eam : proximæ ejus afferentur tibi.

Afferentur in lætitia, & exultatione : adducentur in templum Regis.

Pro patribus tuis nati sunt tibi filii :  
constitues eos principes super omnem  
terram.

Memores erunt nominis tui : in omni  
generatione, & generationem.

Propterea populi confitebuntur tibi  
in æternum : & in sæculum sæculi.

Gloria Patri, &c.

*Ant.* Specie tua , & pulchritudine  
tua, intende, prosperè procede, & regna.

*Ant.* Adjuvabit eam &c. *Vide ut in  
fine Psalm.*

### P S A L M U S 45.

**D**EUS noster refugium , & virtus : ad-  
jutor in tribulationibus , quæ inven-  
nerunt nos nimis.

Propterea non timebimus , dum tur-  
babitur terra : & transferentur montes  
in cor maris.

Sonuerint , & turbatæ sunt aquæ  
eorum : cuncturbati sunt montes in forti-  
tudine ejus.

Fluminis impetus lætificat civitatem  
Dei sanctificavit tabernaculum suum Altissimus , Deus in medio ejus , non com-  
mòvebitur ; adjuvabit eam Deus manè  
diluculo.

Con-

Conturbatæ sunt gentes, & inclinata sunt régna : dedit vocem suam , mota est terra.

Dominus virtutum nobiscum : Susceptor noster Deus Jacob.

Venite , & videte opera Domini , quæ posuit prodigia super terram : auferrens bella usque ad finem terræ.

Arcum conteret, & confringet arma : & scuta comburet igni.

Vacate , & videte ; quoniam ego sum Deus : exaltabor in gentibus , & exaltabor in terra.

Dominus virtutum nobiscum : Susceptor noster Deus Jacob.

Gloria Patri , &c.

*Ant.* Adjuvabit eam Deus vultu suo : Deus in medio ejus non commovebitur.

*Ant.* Sicut lætantium &c. *Vide ut in fine Psalm.*

### PSALMUS 86.

Fundamentum ejus in montibus sanctis : diligit Dominus portas Sion super omnia tabernacula Jacob.

Gloriosa dicta sunt de te : civitas Dei.

Memor ero Rahab , & Babylonis : scientium me,

Ecce

**E**cce alienigenæ, & Tyrus; & populus Æthiopum: hi fuerunt illic.

Nunquid Sion dicet? Homo, & homo natus est in ea: & ipse fundavit eam Altissimus.

Dominus narrabit in scripturis populorum, & Principum: horum, qui fuerunt in ea.

Sicut lætantium, omnium: habitatio est in te.

Gloria Patri, &c.

*Ant.* Sicut lætantium, omnium nostrum habitatio est in te.

*V.* Diffusa est gratia in labiis tuis.

*R.* Propterea benedixit te Deus in æternum.

*Absol.* Precibus, &c. *ut infra.* fol.

132.

Tres Psalmi sequentes dicuntur Feria IV.

& Sabbatho ad Nocturn.

*Ant.* Gaude, Maria Virgo &c. *Vide ut in fine Psalm.*

### P S A L M U S 95.

**C**Antate Domino canticum novum: cantate Domino omnis terra.

Cantate Domino, & benedicite nomini ejus annunciate de die in diem salutare ejus.

*An-*

Annunciate inter gentes gloriam ejus : in omnibus populis mirabilia ejus.

Quoniam magnus Dominus , laudabilis nimis : terribilis est super omnes Deos.

Quoniam omnes dii Gentium dæmonia : Dominus autem cœlos fecit.

Confessio , & pulchritudo in conspectu ejus : sanctimonia , & magnificentia in sanctificatione ejus.

Afferte Domino patriæ Gentium , afferte Domino gloriam , & honorem : afferte Domino gloriam nomini ejus.

Tollite hostias , & introite in atria ejus : adorate Dominum in atrio sancto ejus.

Commoveatur à facie ejus universa terra : dicite in Gentibus ; quia Dominus regnavit.

Etenim correxit orbem terræ , qui non commovebitur : judicabit populos in æquitate.

Lætentur cœli , & exultet terra , commoveatur mare , & plenitudo ejus : gaudebunt campi , & omnia , quæ in eis sunt.

Tunc

Tunc exultabunt omnia ligna sylvarum à facie Domini, quia venit: quoniam venit judicare terram.

Judicabit orbem terræ in æquitate: & populos in veritate sua.

Gloria Patri, &c.

*Ant.* Gaude, Maria Virgo, cunctas hæreses sola interemisti in universo mundo.

*Ant.* Dignare me. &c.

*P S A L M U S* 96.

**D**ominus regnavit, exultet terra: lætentur insulæ multæ.

Nubes, & caligo in circuitu ejus: justitia, & judicium correctio sedis ejus.

Ignis ante ipsum præcedet: & inflammabit in circuitu inimicos ejus.

Illuxerunt fulgura ejus orbi terræ: vident, & commota est terra.

Montes, sicut cera, fluxerunt à facie Domini: à facie Domini omnis terra.

Annunciaverunt cœli justitiam ejus: & viderunt omnes populi gloriam ejus.

Confundantur omnes, qui adorant sculptilia: & qui gloriabantur in simulacris suis.

Adorate eum omnes Angeli ejus: audivit, & lætata est Sion.

I

Et

Et exultaverunt filiae Iudeæ : propter iudicia tua Domine.

Quoniam tu Domine , Altissimus super omnem terram : nimis exaltatus es super omnes Deos.

Qui diligitis Dominum , odite malum : custodit Dominus animas Sanctorum suorum de manu peccatoris libabit eos.

Lux orta est justo : & rectis corde lætitia.

Lætamini justi in Domino : & contemini memorie sanctificationis ejus.

Gloria Patri , &c.

*Ant.* Dignare me laudare te , Virgo sacrata : da mihi virtutem contra hostes tuos.

*Ant.* Post partum. *In Adv. & Annunc.*  
*B. M. Angelus Domini.* &c.

### P S A L M U S 97.

**C**antate Domino canticum novum : quia mirabilia fecit.

Salvavit sibi dextera ejus : & brachium sanctum ejus.

Notum fecit Dominus salutare suum : in conspectu Gentium revelavit justitiam suam.

Recor-

Recordatus est misericordiae suæ:  
 & veritatis suæ domui Israël.

Viderunt omnes termini terræ : sa-  
 lutare Dei nostri.

Jubilate Deo, omnis terra : canta-  
 te, & exultate, & psallite.

Psalrite Domino in cithara , in citha-  
 ra & voce psalmi : in tubis ductilibus ,  
 & voce tubæ corneæ.

Jubilate in conspectu Regis Domini:  
 moveatur mare, & plenitudo ejus, orbis  
 terrarum, & qui habitant in eo.

Flumina plaudent manu, simul mon-  
 tes exultabunt à conspectu Domini : quo-  
 niam venit judicare terram.

Judicabit orbem terrarum in Justi-  
 tia : & populos in æquitate.

Gloria Patri, &c.

*Ant.* Post partum Virgo, inviolata  
 permansisti ; Dei Genetrix intercede pro  
 nobis.

*Ant.* In Adv. & Annunc. B. M. An-  
 gelus Domini nunciavit Mariæ ; & con-  
 cepit de Spiritu Sancto.

*V.* Diffusa est gratia in labiis tuis.

*R.* Propterea benedixit te Deus in æter-  
 num.

Pater noster. *Secreto.*

**V.** Et ne nos inducas, &c.

**A B S O L U T I O.**

**P**Recibus, & meritis B. Mariæ, semper Virginis, & omnium Sanctorum, perducat nos Dominus ad regna cœlorum,

**R.** Amen.

**V.** Jube domine benedicere.

**B E N E D I C T I O.**

**N**O<sup>s</sup> cum prole pia, benedicat Virgo

MARIA.

**R.** Amen.

**LECTIONES ANTE, ET POST  
ADVENTUM.**

**L E C T I O I.** Eccl. 24.

**I**N omnibus requiem quæsivi, & in hæreditate Domini morabor. Tunc præcepit, & dixit mihi Creator omnium; & qui creavit me, requievit in tabernaculo meo, & dixit mihi; in Jacob inhabita; & in Israël hæreditare, & in electis meis mitte radices. Tu autem Domine miserere nobis.

**R.** Deo gratias.

**R.** Sancta, & Immaculata Virginitas, quibus te laudibus efferam, nescio: quia

quia quem cœli capere non poterant, tuo  
gremio contulisti.

**V.** Benedicta tu in mulieribus, &  
benedictus fructus ventris tui.

**R.** Quia, quem cœli capere non po-  
terant, tuo gremio contulisti.

**V.** Jube domne benedicere.

### B E N E D I C T I O .

**I**psa Virgo Virginum, intercedat pro  
nobis ad Dominum.

**R.** Amen.

### L E C T I O II.

**E**T sic in Sion firmata sum, & in Civi-  
tate sanctificata similiter requievi,  
& in Jerusalem potestas mea. Et radi-  
cavi in populo honorificato, & in parte  
Dei mei hereditas illius, & in plenitudi-  
ne Sanctorum detentio mea. Tu autem  
Domine, miserere nobis.

**R.** Deo gratias.

**R.** Beata es Virgo Maria, quæ Do-  
minum portasti, Creatorem mundi: Ge-  
nuisti, qui te fecit, & in æternum per-  
manes Virgo.

**V.** Ave Maria, gratiâ plena, Do-  
minus tecum.

R. Genuisti, qui te fecit, & in æternum permanes Virgo.

*Quando dicitur: Te Deum. Assumitur in fine hujus responsorii.*

¶. Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto.

R. Geuuisti, qui te fecit, & in æternum permanes Virgo.

¶. Jube domine benedicere.

### B E N E D I C T I O .

PER Virginem MAtrem concedat nobis Dominus salutem, & pacem.

¶. Amen.

### L E C T I O III.

QUASI cedrus exaltata sum in Libano,  
& quasi Cypressus in monte Sion?  
Quasi palma exaltata sum in Cades, &  
quasi plantatio rosæ in Jerico. Quasi oli-  
va speciosa in campis, & quasi platanus  
exaltata sum juxta aquam in plateis. Si-  
cut cinnamomum, & balsamum aromati-  
zans odorem dedi. Quasi myrrha électa,  
dedi suavitatem odoris. Tu autem Do-  
mine, miserere nobis.

¶. Deo gratias.

Hymnus

*Hymnus SS. Ambrosii, & Augustini,  
Te Deum laudamus. dicitur à Nativitate  
Domini usque ad Septuagesimam, & à Re-  
surrectione usque ad Adventum, ac in Festis  
B. V. M.*

*Hymnus SS. Ambrosii, & Augustini.*

**T**E DEum laudamus : te Dominum  
confitemur.

Te æternum Patrem : omnis terra  
veneratur.

Tibi omnes Angeli : tibi cœli, &  
universæ potestates.

Tibi Cherubim, & Seraphim inces-  
sabili voce proclamant.

Sanctus, Sanctus, Sanctus : Domi-  
nus Deus Sabaoth.

Pleni sunt cœli & terra : Majestatis  
Gloriæ tuæ.

Te gloriosus Apostolorum chorus.

Te Prophetarum laudabilis numerus.

Te Martyrum candidatus laudat e-  
xercitus.

Te per orbem terrarum, sancta  
confitetur Ecclesia.

Patrem immensæ Majestatis.

Venerandum tuum verum, & uni-  
cum Filium.

Sanctum quoque Paraclytum Spiritum.

Tu Rex gloriae Christe.

Tu Patris sempiternus es Filius.

Tu ad liberandum suscepiturus hominem : non horruisti Virginis uterum.

Tu devicto mortis aculeo : aperuisti credentibus regna cœlorum.

Tu ad dexteram Dei sedes in gloria Patris.

Judex crederis esse venturus.

Te ergo quæsumus , tuis famulis subveni : quos pretioso sanguine redemisti.

Æterna fac cum Sanctis tuis in gloria numerari.

Salvum fac populum tuum Domine : & benedic hæreditati tuae.

Et rege eos : & extolle illos usque in æternum.

Per singulos dies benedicimus te.

Et laudamus nomen tuum in sæculum : & in sæculum sæculi.

Dignare Domine die isto sine peccato nos custodire.

Miserere nostri Domine : miserere nostri.

Fiat

Fiat misericordia tua Domine super nos; quemadmodum speravimus in te.

In te Domine speravi: non confundar in æternum.

*Sequentes Verficuli cum Responsoriis, & oratione non dicuntur in Officio, sed tempore processionum.*

¶. Benedicamus Patrem & Filium, cum Sancto Spiritu.

R. Laudemus, & superexalte mus eum in sæcula.

¶. Domine exaudi orationem meam.

R. Et clamor meus ad te véniat.

### O R E M U S.

**D**EUS, cuius misericordiæ non est numerus, & bonitatis infinitus est thesaurus, piissimæ Majestati tuæ pro collatis donis gratias agimus, tuam semper clementiam exorantes, ut, qui petentibus postulata concedis, eosdem non deferens, ad præmia futura disponas. Per Dominum nostrum JESUM Christum Filium tuum, qui tecum vivit & regnat in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. R. Amen.

¶. Divinum auxilium maneat semper nobiscum. R. Amen.

*Sequens Responsorium omittitur quando dicitur Te Deum laud.*

R. Felix namque es, sacra Virgo Maria, & omni laude dignissima: *Quia ex te ortus est Sol Justitiae, Christus Deus noster.*

V. Ora pro populo, interveni pro Clero, intercede pro devoto fœmineo sexu; sentiant omnes tuum juvamen, quicunque celebrant tuam sanctam commemorationem,

R. *Quia ex te ortus est Sol justitiae, Christus Deus noster.*

V. Gloria Patri, &c.

R. Christus Deus noster.

*Lectiones sequentes dicuntur in Adventu, & Annunc. B. Mariae.*

V. Jube domne benedicere.

### BENEDICTIO.

Nos cum prole pia, benedicat Virgo MARIA.

R. Amen.

### LECTIO. I. Luc. 2.

M<sup>is</sup>sus est Angelus Gabriel à Deo in civitatem Galileeæ, cui nomen Nazareth, ad Virginem despousatam viro, cui

cui nomen erat Joseph, de domo David, & nomen Virginis Maria. Et ingressus Angelus ad eam, dixit: Ave gratiâ plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus. Tu autem Domine, misere-re nobis.

R. Deo gratias.

R. Missus est Gabriel Angelus ad Mariam Virginem, despontatam Joseph, nuncians ei verbum, & expavescit Virgo de lumine. Ne timeas Maria, invenisti enim gratiam apud Dominum: Ecce concipies, & paries, & vocabitur Altissimi Filius.

V. Dabit ei Dominus DEus sedem David, Patris ejus, & regnabit in domo Jacob in æternum.

R. Ecce concipies, & paries, & vocabitur Altissimi Filius.

V. Jube Domne benedicere.

### BENEDICTIO.

**I**Psa Virgo Virginum intercedat pro nobis ad Dominum.

R. Amen.

### LECTIO II.

**Q**Uæ cùm audisset, turbata est in sermone ejus, & cogitabat qualis esset ista

ista salutatio? Et ait Angelus ei: Ne timemas Maria, invenisti enim gratiam apud Deum, ecce concipies in utero, & paries filium, & vocabis nomen ejus IESUM. Hic erit magnus, & Filius altissimi vocabitur, & dabit illi Dominus Deus sedem David patris ejus: & regnabit in Domo Jacob in æternum, & regni ejus non erit finis. Tu autem Domine miserere nobis.

R. Deo gratias.

R. Ave Maria, gratiâ plena, Dominus tecum. Spiritus Sanctus superveniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi; quod enim ex te nascetur Sanctum, vocabitur Filius Dei.

X. Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco? & respondens Angelus dixit ei.

R. Spiritus Sanctus superveniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi: quod enim ex te nascetur Sanctum, vocabitur Filius Dei.

X. Jube domne benedicere.

### BENEDICTIO.

PER Virginem Matrem concedat nobis nobis Dominus salutem, & pacem.

R. Amen.

LE-

## LECTIO III.

**D**Ixit autem Maria ad Angelum : Quo-  
modo fiet istud , quoniam viruin non  
cognosco ? Et respondens Angelus , dixit ,  
ei ; Spiritus Sanctus superveniet in te ,  
& virtus Altissimi obumbrabit tibi . Ideo-  
que & quod nascetur ex te Sanctum , vo-  
cabitur Filius Dei . Et ecce Elisabeth  
cognata tua , & ipsa concepit filium in  
senectute sua : Et hic mensis sextus est  
illi , quæ vocatur sterilis ; quia non erit  
impossibile apud Deum omne verbum .  
Dixit autem Maria : Ecce Ancilla Domini ,  
fiat mihi secundum verbum tuum .  
Tu autem Domine , miserere nobis .

¶. Deo gratias .

¶. Suscipe verbum Virgo Maria ,  
quod tibi à Domino per Angelum trans-  
missum est : concipies , & paries Deum  
pariter , & hominem . Ut benedicta dic-  
aris inter omnes mulieres .

¶. Paries quidem filium , & virgi-  
nitatis non patieris detrimentum : effici-  
eris gravida , & eris semper mater intacta .

¶. Ut benedicta dicaris inter omnes  
mulieris . ¶. Gloria Patri , &c .

¶. Ut benedicta dicaris inter omnes  
mulieris .

## AD LAUDES.

**V.** Deus in adjutorium. &c.

Gloria Patri, & Filio, &c. Alleluja.

*Ante Advent. Antiph. Assumpta est. &c.*

*In Advent. Missus est. &c.*

*Post Advent. O admirabile. &c.*

## PSALMUS 92.

**D**ominus regnavit , decorem indutus  
est : indutus est Dominus fortitudi-  
nem , & præcinxit se.

Etenim firmavit orbem terræ , qui  
non commovebitur.

Parata sedes tua ex tunc : à sæculo  
tu es.

Elevaverunt flumina Domine : ele-  
vaverunt flumina vocem suam.

Elevaverunt flumina fluctus suos , à  
vocabus aquarum multarum.

Mirabiles elationes maris : mirabi-  
lis in altis Dominus.

Testimonia tua crefibia facta sunt  
nimis : domum tuam decet sanctitudo  
Domine in longitudinem dierum.

Gloria Patri, & Filio, &c.

*Ante Advent. Antiph. Assumpta est Ma-*  
*ria in cœlum : gaudent Angeli, laudantes*  
*benedicunt Dominum.* *In*

*In Adv. Antiph.* Missus est Angelus Gabriel ad Mariam Virginem desponsatam Joseph.

*Post Adv. Antiph.* O admirabile commercium! Creator generis humani, animatum corpus sumens, de Virgine nasci dignatus est, & procedens homo sine semine largitus est nobis suam Deitatem.

*Ante Adv. Antiph.* Maria Virgo. &c.

*In Advent.* Ave Maria. &c.

*Post Adv.* Quando natus es. &c.

### P S A L M U S 99.

**J**ubilate Deo omnis terra: servite Dominum in lætitia.

Introite in conspectu ejus, in exultatione.

Scitote quoniam Dominus ipse est Deus: ipse fecit nos, & non ipsi nos.

Populus ejus, & oves pascuae ejus: introite portas ejus in confessione, atria ejus in hymnis: confitemini illi.

Laudate nomen ejus: quoniam suavis est Dominus, in æternum misericordia ejus; & usque in generationem & generationem veritas ejus.

Gloria Patri, &c.

*Ante*

*Ante Advent. Antiph.* Maria Virgo assumpta est ad æthereum thalamum, in quo Rex regum stellato sedet folio.

*In Advent. Antiph.* Ave Maria, gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus, Alleluja

*Post Adv. Antiph.* Quando natus es ineffabiliter ex Virgine, tunc impletæ sunt Scripturæ; sicut pluvia in vellus descendisti, ut salvum faceres genus humanum: te laudamus Deus noster.

*Ante Advent. Antiph.* In odorem. &c.

*In Advent.* Ne timeas Maria. &c.

*Post Advent.* Rubum. &c.

### P S A L M U S 62.

**D**eus, Deus meus, ad te de luce vigilo.  
Sitivit in te anima mea, quām multipliciter tibi caro mea

In terra deserta, & invia, & inaquosa, sic in sancto apparui tibi, ut vide rem virtutem tuam, & gloriam tuam.

Quoniam melior est misericordia tua super vitas, labia mea laudabunt te.

Sic benedicam te in vita mea: & in nomine tuo levabo manus meas.

Sicut adipe, & pinguedine repletur anima mea: & labii exultationis laudabit os meum.

Si

Si memor fui tui super stratum meum, in matutinis meditabor in te: quia fuisti adjutor meus.

Et in velamento alarum tuarum exultabo, adhæsit anima mea post te: me suscepit dextera tua.

Ipsi verò in vanum quæsierunt animam meam, introibunt in inferiora terræ, tradentur in manus gladii, partes vulpium erunt.

Rex verò lætabitur in Deo, laudabuntur omnes, qui jurant in eo: quia obstructum est os loquentium iniqua.

*P S A L M U S 66.*

**D**eus misereatur nostri: & benedicat nobis: illuminet vultum suum supernos, & misereatur nostri.

Ut cognoscamus in terra viam tuam, in omnibus Gentibus salutare tuum.

Confiteantur tibi populi Deus: confiteantur tibi populi omnes.

Lætentur, & exultent gentes: quoniam judicas populos in æquitate, & gentes in terra dirigis.

Confiteantur tibi populi Deus: confiteantur tibi populi omnes, terra dedit fructum suum.

Benedicat nos Deus, Deus noster: benedicat nos Deus; & metuant eum omnes fines terræ.

Gloria Patri, &c.

*Ante Advent. Antiph.* In odorem unguentorum tuorum currimus, adolescentulæ dilexerunt te nimis.

*In Advent.* Ne timeas Maria, invenisti gratiam apud Dominum, ecce concipies, & paries Filium. Alleluja.

*Post Adv. Antiph.* Rubum, quem videbat Moyses incombustum, conservatam agnovimus tuam laudabilem Virginitatem, DEI Genitrix intercede pro nobis.

*Ante Adv. Antiph.* Benedicta Filia &c.

*In Adventu.* Dabit ei Dominus. &c.

*Post Advent.* Germinavit. &c.

**CANTICUM TRIUM PUEGORUM.** *Dan. 3.*

**B**enedicite omnia opera Domini Domino: laudate, & superexaltate eum in sæcula.

Benedicite Angeli Domini Domino: benedicte cœli Domino.

Benedicite aquæ omnes, quæ super cœlos sunt Domino: benedicite omnes virtutes Domini Domino.

Benedicite sol, & luna Domino: benedicite stellæ cœli Domino.

Bene-

Benedicite omnis imber, & ros Domi-  
no: benedicite omnes Spiritus Dei Domino.

Benedicite ignis, & æstus Domino.  
benedicite frigus, & æstus Domino.

Benedicite rores, & pruina Domino:  
benedicite gelu, & frigus Domino.

Benedicite glacies, & nives Domi-  
no: benedicite noctes, & dies Domino.

Benedicite lux, & tenebræ Domi-  
no: benedicite fulgura, & nubes Domino.

Benedicat terra Dominum; laudet  
& superexaltet eum in sæcula.

Benedicite montes, & colles Domi-  
no: benedicite universa germinantia in  
terra Domino.

Benedicite fontes Domino: benedi-  
cite maria, & flumina Domino.

Benedicite cete, & omnia, quæ mo-  
ventur in aquis Domino: benedicite o-  
mnes volucres cœli Domino.

Benedicite omnes bestiæ, & pecora  
Domino; benedicite filii hominum Do-  
mino.

Benedicat Israël Dominum: laudet,  
& superexaltet eum in sæcula.

Benedicite sacerdotes Domini Domi-  
no: benedicite servi Domini Domino.

Benedicite spiritus, & animæ justorum Domino: benedicte sancti & humiles corde Domino.

Benedicite Anania, Azaria, Misaël, Domino: laudate, & superexaltate eum in sæcula.

Benedicamus Patrem, & Filium, cum sancto Spiritu: laudemus, & superexaltemus eum in sæcula.

Benedictus es Domine in firmamento cœli: & laudabilis, & gloriosus, & superexaltatus in sæcula.

*Hic non dicitur Gloria Patri.*

*Ante Advent. Antiph.* Benedicta filia tu à Domino: quia per te fructum vitæ communicavimus.

*In Advent.* Dabit ei Dominus sedem David Patris ejus: & regnabit in æternum.

*Post Advent.* Germinavit radix Jesse, orta est stella ex Jacob, Virgo peperit Salvatorem: Te laudamus Deus noster.

*Ante Adv. Antiph.* Pulchra es &c.

*In Adventu.* Ecce Ancilla Domini &c.

*Post Adventum.* Ecce Maria &c.

*P S A L M U S . 148.*

**L**AUDATE Dominum de cœlis: laudate eum in excelsis.

Lau-

Laudate eum omnes Angeli ejus ;  
laudate eum omnes virtutes ejus.

Laudate eum sol, & luna : laudate  
eum omnes stellæ, & lumen.

Laudate eum cœli cœlorum : & a-  
quæ omnes, quæ super cœlos sunt, lau-  
dent nomen Domini.

Quia ipse dixit, & facta sunt : ipse  
mandavit, & creata sunt.

Statuit ea in æternum, & in sæcu-  
lum sæculi : præceptum posuit, & non  
præteribit.

Laudate Dominum de terra : dra-  
cones, & omnes abyssi.

Ignis, grando, nix, glacies, spiri-  
tus procellarum, quæ faciunt verbum  
ejus :

Montes, & omnes colles : ligna fru-  
tifera, & omnes cedri :

Bestiæ, & universa pecora : serpen-  
tes, & volucres pennatæ.

Reges terræ, & omnes populi : Prin-  
cipes, & omnes judices terræ.

Juvenes, & Virgines : senes cum  
junioribus laudent nomen Domini : quia  
exaltatum est nomen ejus solius.

Confessio ejus super cœlum & terram : & exaltavit cornu populi sui.

Hymnus omnibus Sanctis ejus : filiis Israël, populo appropinquanti sibi.

*PSALMUS 149.*

**C**Antate Domino canticum novum : laus ejus in Ecclesia Sanctorum.

Lætetur Israël in eo, qui fecit eum : & filii Sion exultent in rége suo.

Laudent nomen ejus in choro : in tympano, & psalterio psallant ei.

Quia beneplacitum est Domino in populo suo : & exaltabit mansuetos in salutem.

Exultabunt Sancti in gloria : lætabuntur in cubilibus suis.

Exaltationes Dei in gutture eorum : & gladii ancipites in manibus eorum.

Ad faciendam vindictam in nationibus : increpationes in populis.

Ad alligandos reges eorum in compedibus : & nobiles eorum in manicis ferreis.

Ut faciant in eis judicium conscriptum : gloria hæc est omnibus Sanctis ejus.

## PSALMUS 152.

**L**AUDATE Dominum in Sanctis ejus: laudate eum in firmamento virtutis ejus.

Laudate eum in virtutibus ejus: laudate eum secundum multitudinem magnitudinis ejus.

Laudate eum in sono tubæ: laudate eum in psalterio, & cithara.

Laudate eum in tympano, & choro: laudate eum in chordis, & organo.

Laudate eum in cymbalis benesonantibus, laudate eum in cymbalis jubilacionis: omnis spiritus laudet Dominum.

Gloria Patri, &c.

*Ante Advent. Antiph.* Pulchra es, & decora filia Jerusalem: terribilis, ut castrorum acies ordinata.

*In Advent.* Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum.

*Post Advent.* Ecce Maria genuit nobis Salvatorem, quem Joannes videns exclamavit, dicens: Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi, Alleluja.

*Sequens Capitulum dicitur ante, & post Ado.*

CAPITULUM. Cant. 6.

**V**Iderunt eam filiae Sion, & beatissimam prædicaverunt, & reginæ laudaverunt eam.

B. DEO gratias.

*Sequens Capitulum dicitur in Adventu.*

**CAPITULUM. Isa. 2.**

**E**gredietur virga de radice Jesse, &  
flos de radice ejus ascendet, & re-  
quiescet super eum Spiritus Domini.

B. Deo gratias.

**HYMNS.**

**O** Gloriosa Virginum,  
Sublimis inter sidera,  
Qui te creavit, parvulum  
Laetente nutris ubere.  
Quod Heva tristis abstulit.  
Tu reddis almo germine:  
Intrent ut astra flebiles,  
Cœli reclidis cardines,  
**Tu** regis alti janua,  
Et aula lucis fulgida,  
Vitam datam per Virginem,  
Gentes redemptæ plaudite.  
**JESU**, tibi sit gloria,  
Qui natus es de Virgine,  
Cum Patre, & almo Spiritu,  
In sempiterna sæcula. Amen.  
B. Benedicta tu in mulieribus.  
B. Et benedictus fructus ventris tui.

*Ante*

*Ante Advent. Antiph. Beata Dei Genitrix Maria. &c.*

*In Advent. Spiritus Sanctus. &c.*

*Post Advent Mirabile. &c.*

*Tempore Paschali omissa praedicta Antiphona, dicitur Antiph. Regina cœli &c.*

**CANTICUM ZACHARIAE.** *Luc. I.*

**B**enedictus Dominus Deus Israël : quia visitavit, & fecit redemptionem plebis suæ :

Et erexit cornu salutis nobis, in domo David pueri sui.

Sicut locutus est per os Sanctorum, qui à sæculo sunt, Prophetarum ejus :

Salutem ex inimicis nostris, & de manu omnium, qui oderunt nos.

Ad faciendam misericordiam cum patribus nostris : & memorari testamenti sui sancti.

Jusjurandum, quod juravit ad Abraham patrem nostrum daturum se nobis.

Ut sine timore de manu inimicorum nostrorum liberati ; serviamus illi :

In sanctitate, & justitia coram ipso, omnibus diebus nostris.

Et tu puer, Propheta Altissimi vocaberis : præibis enim ante faciem Domini parare vias ejus.

Ad

Ad dandam scientiam salutis plebi  
ejus : in remissionem peccatorum eorum.

Per viscera misericordiae Dei nostri :  
in quibus visitavit nos oriens ex alto.

Illuminare his, qui in tenebris, &  
in umbra mortis sedent : ad dirigendos  
pedes nostros in viam pacis.

Gloria Patri, &c.

*Ante Advent. Antiph.* Beata Dei Ge-  
nitrix Maria, Virgo perpetua, templum  
Domini, sacrarium Spiritus Sancti, sola  
sine exemplo placuisti Domino nostro JE-  
su Christo ; ora pro populo, interveni pro  
Clero, intercede pro devoto fæmineo sexu.

*In Adventu.* Spiritus Sanctus in te de-  
scendet Maria ; ne timeas, habebis in u-  
tero Filium Dei.

*Post Advent.* Mirabile Mysterium de-  
claratur hodie, innovantur naturæ, De-  
us homo factus est, id quod fuit, perman-  
dit, & quod non erat, assumpsit, non com-  
mixtionem passus, neque divisionem.

*Tempore Paschali.* Regina cœli læta-  
re, alleluja : quia quem ineruisti porta-  
re, alleluja : resurrexit sicut dixit, alle-  
luja : ora pro nobis Deum, alleluja.

Kyrie

Kyrie eleison.

Christe eleison.

Kyrie eleison.

**X.** Domine exaudi orationem meam.

**R.** Et clamor meus ad te veniat.

*Ante Adventum, & in Adventu, Oratio.*

**D**eus, qui de Beatae Mariæ Virginis utero, Verbum tuum Angelo nunciante carnem suscipere voluisti, præsta supplicibus tuis, ut, qui verè eam Genitricem Dei credimus, ejus apud te intercessionibus adjuvemur. Per eundem Christum, &c.

**R.** Amen.

*Post Advent. Oratio.*

**D**eus, qui salutis æternæ Beatae Mariæ Virginitate fœcunda, humano generi præmia præstitisti; tribue quæsumus, ut ipsam pro nobis intercedere sentiamus, per quam meruimus auctorem vitæ suscipere Dominum nostrum JESUM Christum Filium tuum.

**R.** Amen.

*Pro Sanctis, ante, & post Advent. Antiphona.* Sancti Dei omnes intercedere dignemini pro nostra, omniumque salute,

**X.** Læ-

V. Lætamini in Domino, & exultate justi.  
R. Et gloriamini omnes recti corde.

## O R A T I O.

**P**rotege Domine populum tuum, & Apostolorum tuorum Petri, & Pauli, & aliorum Apostolorum patrocinio confidentem, perpetua defensione conserva.

**O**Mnes Sancti tui, quæsumus Domine, nos ubique adjuvent, ut dum eorum merita recolimus, patrocinia sentiamus, & pacem tuam nostris concede temporibus ! & ab Ecclesia tua cunctam repelle nequitiam, iter, ætus, & voluntates nostras, & omnium famulorum tuorum in salutis tuæ prosperitate dispone ; Benefactoribus nostris sempiterna bona retribue, & omnibus fidelibus defunctis requiem æternam concede. Per Dominum nostrum, &c.

V. Domine exaudi orationem meam.  
R. Et clamor meus ad te veniat.  
V. Benedicamus Domino.  
R. Deo gratias.  
V. Et fidelium animæ per misericordiam  
Dei requiescant in pace.  
R. Amen.

*In*

*In Advent. pro Sanctis.*

*Antiph.* Ecce Dominus veniet, & omnes Sancti ejus cum eo; & erit in die illa lux magna, Alleluja.

*V.* Ecce apparebit Dominus super nubem candidam.

*R.* Et cum eo Sanctorum millia.

*O R A T I O.*

**C**Onscientias nostras quæsumus Domine, visitando purifica: ut veniens IESUS Christus Filius tuus Dominus noster, cum omnibus Sanctis, paratam sibi in nobis inveniat mansionem. Qui tecum vivit, &c.

*V.* Domine exaudi orationem meam.

*R.* Et clamor meus ad te veniat.

*V.* Benedicamus Domino.

*R.* Deo gratias.

*V.* Et fidelium animæ per misericordiam Dei requiescant in pace.

*R.* Amen.

*Si terminandum sit Officium, dicentur ea, quæ sequuntur: alioquin si alia subsequatur Hora, in fine ultimæ Horæ, Pater noster, totum secreto.*

*V.* Dominus det nobis suam pacem.

*R.* Et vitam æternam. Amen.

*Deinde*

*Deinde dicitur una ex infrà positis Antiphon. eaque flexis genibus (præterquam in diebus Dominicis à primis Vesperis Sabbathi, & toto tempore Paschali) & similiter in fine Completorii.*

*A Completorio Purificationis usque ad Nonam Sabbathi sancti inclusivè. Antiphona.*

**A** Ve Regina cœlorum, Ave Domina Angelorum; Salve radix, salve porta, ex qua mundo lux est orta : gaude Virgo gloria, super omnes speciosa ; vale ô valde decora, & pro nobis Christum exora.

**V.** Dignare me laudare te Virgo sacrata.  
**R.** Da mihi virtutem contra hostes tuos.

### O R E M U S.

**C**Oncede misericors Deus fragilitati nostræ præsidium : ut qui sanctæ Dei Genitricis memoriam agimus, intercessione ejus auxilio à nostris iniquitatibus resurgamus. Per eundem Christum Dominum nostrum. **R.** Amen

**V.** Divinum auxilium maneat semper noscum.  
**R.** Amen.

*A Com-*

*A Completorio Sabbathi sancti usque ad Nonam Sabbathi post Pentecosten inclusivè, Antiph.*

**R**egina cœli lætare, Alleluja. Quia quem meruisti portare, Alleluja. Resurrexit, sicut dixit, Alleluja. Ora pro nobis Deum, Alleluja.

**V.** Gaude, & lætare Virgo Maria: Alleluja.

**R.** Quia surrexit Dominus verè, Alleluja.

**O R E M U S.**

**D**eus, qui per resurrectionem Filii tui Domini nostri IESU Christi mundum lætificare dignatus es; præsta quæsumus, ut per ejus Genetricem Virginem Mariam, perpetuæ capiamus gaudia vitæ, Per eundem Christum Dominum nostrum,

**R.** Amen.

*A Completorio Sabbathi post Pentecosten, usque ad Nonam Sabbathi ante Advent. Antiphona.*

**S**alve Regina, Mater misericordiæ, vita, dulcedo, & spes nostra salve. Ad te clamamus exules filii Evæ. Ad te suspiramus gementes, & flentes in hac lacrymarum valle. Eja ergo advocata nostra

stra illos tuos misericordes oculos ad nos  
converte. Et JEsum benedictum fructum  
ventris tui nobis post hoc exilium ostende.

O clemens! ô pia! ô dulcis Virgo Maria!

V. Ora pro nobis sancta Dei Genitrix.

R. Ut digni efficiamur promissionibus  
Christi.

### OREMUS.

**O**Mnipotens sempiterne Deus, qui gloriæ Virginis Matris Mariæ corpus,  
& animam, ut dignum Filii tui habitaculum effici mereretur, Spiritu sancto cooperante præparasti; da ut cuius commemoratione lætamur, ejus pia intercessione ab instantibus malis, & à morte perpetua liberemur. Per eundem Christum Dominum nostrum.

R. Amen.

*In Advent. sequens Antiph. dicitur flexis genibus, præterquam in Dominicis à primis Vesperis Sabbathi.*

### Antiphona.

**A**Lma Redemptoris Mater, quæ per via cœli porta manes, & Stella maris: succurre cadenti, surgere, qui curat populo; tu quæ genuisti, natura mirante,

rante, tuum sanctum Genitorem; Virgo prius, ac posterius, Gabrielis ab ore, sumens illud Ave, peccatorum miserere.  
 ¶. Angelus Domini nunciavit Mariæ,  
 R. Et concepit de Spiritu Sancto.

## OREMUS.

**G**ratiam tuam, quæsumus Domine, mentibus nostris infunde, ut qui Angelo nunciante Christi Filii tui Incarnationem cognovimus, per passionem ejus & Crucem ad Resurrectionis gloriam perducamur. Per eundem Christum Dominum nostrum.

R. Amen.

*Post Advent. Oratio.* Deus, qui salutis, &c.

¶. Divinum auxilium maneat semper nobiscum.

R. Amen.

## AD PRIMAM.

Ave Maria, &c.

¶. Deus in adjutorium, &c.

## HYMNS.

**M**emento, rerum Conditor,  
 Nostri quod olim Corporis,

L.

Sa-

Sacrata ab alvo Virginis.

Nascendo formam sumpseris.

Maria Mater gratiae,

Dulcis parens clementiae,

Tu nos ab hoste protege,

Et Mortis horâ suscipe,

Iesu, tibi sit gloria,

Qui natus es de Virgine,

Cum Patre, & almo Spiritu,

In sempiterna sæcula, Amen.

*Ante Advent. Antiph. Assumpta est &c.*

*In Advent. Missus est &c.*

*Post Adveni. O admirabile &c.*

### PSALMUS 53.

**D**eus in nomine tuo salvum me fac: &  
in virtute tua judica me.

Deus exaudi orationem meam: au-  
ribus percipe verba oris mei.

Quoniam alieni insurrexerunt adver-  
sum me, & fortes quæsierunt animam  
meam: & non proposuerunt Deum ante  
conspicuum suum.

Ecce enim Deus adjuvat me: & Do-  
minus susceptor est animæ meæ.

Averte mala ab inimicis meis: & in  
veritate tua disperde illos.

Volun-

Voluntariè sacrificabo tibi : & con-  
fitebor nomini tuo Domine, quoniam bo-  
num est.

Quoniam ex omni tribulatione eri-  
pnisti me : & super inimicos meos despe-  
xit oculus meus.

Gloria Patri, &c.

*PSALMUS* 84.

**B**enedixisti Domine terram tuam :  
avertisti captivitatem Jacob.

Remisisti iniquitatem plebis tuæ :  
operuisti omnia peccata eorum.

Mitigâsti omnem iram tuam : aver-  
tisti ab ira indignationis tuæ.

Converte nos Deus salutaris noster :  
& averte iram tuam à nobis.

Nunquid in æternum irasceris nobis :  
aut extendes iram tuam à generatione,  
in generationem ?

Deus tu conversus vivificabis nos :  
& plebs tua lætabitur in te.

Ostende nobis Domine misericordi-  
am tuam : & salutare tuum da nobis.

Audiam quid loquetur in me Domi-  
nus Deus : quoniam loquetur pacem in  
plebem suam.

Et super Sanctos suos : & in eos, qui convertuntur ad cor.

Verum tamen prope timentes eum salutare ipsius : ut inhabitet gloria in terra nostra.

Misericordia , & veritas obviaverunt sibi : justitia , & pax osculatæ sunt.

Veritas de terra orta est : & justitia de cœlo prospexit.

Etenim Dominus dabit benignitatem : & terra nostra dabit fructum suum.

Justitia ante eum ambulabit : & ponet in via gressus suos.

Gloria Patri , &c.

*P S A L M U S* 119.

**L**AUDATE Dominum omnes gentes : laudate eum omnes populi.

Quoniam confirmata est super nos misericordia ejus : & veritas Domini manet in æternum.

Gloria Patri , &c.

*Ante Advent. Antiph.* Assumpta est Maria in cœlum , gaudent Angeli , laudantes benedicunt Dominum.

*In Advent. Antiph.* Missus est Angelus Gabriel ad Mariam Virginem despontam Joseph.

*Post Advent. Antiphon.* O admirabile commercium ! Creator generis humani animatum corpus sumens , de Virgine nasci dignatus est, & procedens homo sine semine, largitus est nobis suam Deitatem.

*Ante, & post Advent. Capitulum. Cant. 6.*

**Q**uæ est ista, quæ progreditur, quasi aurora consurgens: pulchra ut luna, electa ut sol, terribilis ut castrorum aries ordinata.

R. Deo gratias.

*In Advent. Capitulum. Isaiae. 7.*

**E**cce Virgo concipiet, & pariet Filium, & vocabitur nomen ejus Emmanuel : butyrum , & mel comedet, ut sciat reprobare malum, & eligere bonum.

R. Deo gratias.

V. Dignare me laudare te Virgo sacrata.

R. Da mihi virtutem contra hostes tuos.

Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison.

V. Domine exaudi orationem meam.

R. Et clamor meus ad te veniat.

*Ante Advent. Oratio.*

**D**eus , qui Virginalem aulam' Beatæ Mariæ Virginis , in qua habitares,

el gere dignatus es , da quæsumus , ut  
sua nos defensione munitos , jucundos fa-  
cias suæ interesse commemorationi. Qui  
vivis , &c.

*In Advent. Oratio.* Deus qui de Bea-  
tæ Mariæ Virginis utero , &c. *ut supr.*  
*in Laud.*

*Post Advent. Oratio.* Deus qui salutis  
æternæ , &c. *ibidem.*

¶. Domine exaudi or. *ut supr. ad Laud.*

### AD TERTIAM.

Ave Maria , &c.

¶. Deus in adjutorium , &c.

*Hymnus. Memento,* &c. *ut supr. ad*  
*Primam.*

*Ante Advent. Antiph.* Maria Virgo &c.

*In Advent. Ave Maria* &c.

*Post Advent. Quando natus es* &c.

### PSALMUS 119.

**A**D Dominum , cùm tribularer , clama-  
vi : & exaudivit me.

Domine libera animam meam à labiis  
iniquis : & à lingua dolosa.

Quid detur tibi , aut quid apponatur  
tibi : ad linguam dolosam ;

Sagit-

Sagittæ potentis acutæ ; cum carbonibus desolatoriis

Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus est, habitavi cum habitantibus Cedar : multum incola fuit anima mea.

Cum his, qui oderunt pacem, eram pacificus : cum loquebar illis, impugnabant me gratis.

Gloria Patri, &c.

*P S A L M U S* 120.

**L**evavi oculos meos in montes : unde veniet auxilium mihi.

Auxilium meum à Domino : qui fecit cœlum, & terram.

Non det in commotionem pedem tuum, neque dormitet, qui custodit te.

Ecce non dorinitabit, neque dormiet, qui custodit Irael.

Dominus custodit te : Dominus protectio tua : super manum dexteram tuam.

Per diem sol non uret te ; neque luna per noctem.

Dominus custodit te ab omni malo : custodiat animam tuam Dominus.

Dominus custodiat introitum tuum : & exitum tuum : ex hoc nunc, & usque in sæculum.

Gloria Patri, & Filio, &c.

*P S A L M U S* 121.

**L**Ætatus sum in his, quæ dicta sunt mihi: in domum Domini ibimus.

Stantes erant pedes nostri: in atriis tuis Jerusalem.

Jerusalem, quæ ædificatur ut civitas: cuius participatio ejus in idipsum.

Illuc enim ascenderunt tribus, tribus Domini: testimonium Israël, ad confitendum nomini Domini.

Quia illic sederunt, sedes in judicio: sedes super domum David.

Rogate, quæ ad pacem sunt Jerusalem: & abundantia diligentibus te.

Fiat pax in virtute tua, & abundancia in turribus tuis.

Propter fratres meos, & proximos meos: loquebar pacem de te.

Propter Domum Domini Dei nostri: quæsivi bona tibi.

Gloria Patri, &c.

*Ante Advent. Antiphon.* Maria Virgo assumpta est ad æthereum thalamum, in quo Rex Regum stellato sedet folio.

*In Advent. Antiph.* Ave Maria, gratia plena, Dominus tecum: Benedic̄ta tu in mulieribus, Alleluja.

*Post Advent. Antiph.* Quando natus es ineffabiliter ex Virgine, tunc impletæ sunt scripturæ; sicut pluvia in vellus descendisti, ut salvum faceres genus humānum, te laudamus Deus noster.

*Ante, & post Advent. Capit. Eccl. 24.*

**E**T sic in Sion firmata sum, & in civitate sanctificata similiter requievi, & in Jerusalem potestas mea.

R. Deo gratias.

*In Advent. Capit. Isaiae. 11.*

**E**grediatur virga de radice Jesse, & flos de radice ejus ascendet, & requiescet super eum Spiritus Domini.

R. Deo gratias.

V. Diffusa est gratia in labiis tuis.

R. Propterea benedixit te Deus in æternum.

Kyrie eleison. Christe eleison.

Kyrie eleison.

V. Domine exaudi orationem &c.

*In Advent. Oratio. Deus qui de Beata Mariæ &c. ut supr. in Laud.*

*Ante, & post Adventum, Oratio. Deus,  
qui salutis, &c.*

### AD SEXTAM.

Ave Maria, &c.

¶. Deus in adjutorium, &c.

*Hymnus. Memento, &c. ut supr.*

*Ante Advent. Antiph. In odoreim &c.*

*In Advent. Ne timeas, &c.*

*Poſt Advent. Rubum quem viderat  
Moyſes. &c.*

### PSALMUS 122.

**A**D te levavi oculos meos ? qui habitas in cœlis.

Ecce sicut oculi servorum : in manibus dominorum suorum.

Sicut oculi ancillæ in manibus dominæ suæ : ita oculi nostri ad Dominum Deum nostrum , donec misereatur nostri.

Miserere nostri Domine , miserere nostri : quia multum repleti sumus despectione.

Quia multum repleta est anima nostra : opprobrium abundantibus , & despicio superbis.

Gloria Patri , &c.

PSAL.

## P S A L M U S 123.

**N**isi, quia Dominus erat in nobis, dicat nunc Israël, nisi, quia Dominus erat in nobis

Cum exurerent homines in nos : forte vivos deglutissent nos.

Cum irasceretur furor eorum in nos : fortisan aqua absorbuisset nos.

Torrentem pertransivit anima nostra : foritan pertransisset anima nostra aquam intolerabilem.

Benedictus Dominus : qui non dedit nos in captionem dentibus eorum.

Anima nostra sicut passer erepta est : de laqueo venantium.

Laqueus contritus est : & nos liberati sumus.

Adjutorium nostrum in nomine Domini : qui fecit cœlum, & terram.

Gloria Patri, &c.

## P S A L M U S. 124.

**Q**ui confidunt in Domino sicut mons Sion : non commovebitur in æternum, qui habitat in Jerusalem.

Montes in circuitu ejus : & Dominus in circuitu populi sui : ex hoc nunc, & usque in sæculum.

Quia

Quia non relinquet Dominus virgam peccatorum super fortē justorum : ut non extendant justi ad iniquitatem manus suas.

Benefac Domine bonis , & rectis corde.

Declinantes autem in obligationes, adducet Dominus cum operantibus ini- quitatem : pax super Israël.

Gloria Patri , &c.

*Ante Advent. Antiph.* In odorem un- guentorum tuorum currimus , adolescen- tulæ dilexerunt te nimis.

*In Advent. Antiph.* Ne timeas Maria , invenisti enim gratiam apud Deum : ec- ce concipies , & paries Filium , Alleluja.

*Post Advent. Antiph.* Rubum , quem viderat Moyses incombustum ; conserva- tam agnovimus tuam laudabilem Virgi- nitatem ; DEI Genitrix intercede pro nobis.

*Ante , & post Advent. Capit. Eccl. 24*

**E**T radicavi in populo honorificato , & in parte Dei mei hæreditas illius , & in plenitudine Sanctorum detentio mea.

¶. Deo gratias.

*In*

*In Advent. Capit. Luc. I.*

**D**Abit ei Dominus Deus sedem David Patris ejus, & regnabit in domo Jacob in æternum, & regni ejus non erit finis.

R. Deo gratias.

V. Benedic̄ta tu in mulieribus.

R. Et benedictus fructus ventris tui.

Kyrie eleison. Christe eleison.  
Kyrie eleison.

R. Domine exaudi orationem, &c.

*Ante Advent. Oratio:*

**C**oncede misericors Deus, fragilitati nostræ præsidium, ut qui sanctæ Dei Genitricis memoriam agimus, intercessiōnis ejus auxilio à nostris iniquitatibus resurgamus. Per eundem Dominum, &c.

*In Advent. Oratio.* Deus, qui de Beatae Mariæ Virginis utero, &c. *ut supra in Laud.*

*Post Advent. Oratio.* Deus, qui salutis, &c.  
*ibid.*

V. Domine exaudi orationem, &c.

*AD NONAM.*

Ave Maria, &c.

V. Deus in adjutorium meum, &c.

*Hym-*

*Hymnus Memento, &c. ut supra.*  
*Ante Advent. Antiph. Pulchra es. &c.*  
*In Advent. Ecce Ancilla Dom. &c.*  
*Post Abvent. Ecce Maria, &c.*

**P S A L M U S 125.**

**I**N convertendo Dominus captivitatem Sion, facti sumus sicut consolati.

Tunc repletum est gaudio os nostrum: & lingua nostra exultatione.

Tunc dicent inter gentes: Magnificavit Dominus facere cum eis.

Magnificavit Dominus facere nobiscum: facti sumus lætantes.

Converte Domine captivitatem nostram, sicut torrens in Austro.

Qui seminant in lachrymis: in exultatione metent.

Euntes ibant, & flebant: mittentes semina sua.

Venientes autem venient cum exultatione: portantes manipulos suos.

Gloria Patri, &c.

**P S A L M U S 126.**

**N**isi Dominus ædificaverit domum: in vanum laboraverunt, qui ædificant eam.

Nisi

Nisi Dominus custodierit civitatem,  
frustra vigilat, qui custodit eam.

Vanum est vobis ante lucem surge-  
re : surgite postquam federitis, qui man-  
ducatis panem doloris.

Cum dederit dilectis suis somnum :  
ecce hæreditas Domini, filii ; merces,  
fructus ventris.

Sicut sagittæ in manu potentis : ita  
filii excusorum.

Beatus vir, qui implevit desiderium  
suum ex ipsis ; non confundetur, cùm  
loquetur inimicis suis in porta.

Gloria Patri, &c.

*P S A L M U S* 127.

**B**EATI omnes, qui timent Dominum :  
qui ambulant in viis ejus.

Labores manuum tuarum : quia man-  
ducabis : beatus es : & bene tibi erit.

Uxor tua sicut vitis abundans : in  
lateribus domus tuæ.

Filii tui sicut novellæ olivarum : in  
circitu mensæ tuæ.

Ecce sic benedicitur homo, qui ti-  
met Dominum.

Benedicat tibi Dominus ex Sion : &  
videas bona Jerusalem omnibus diebus  
vitæ tuæ.

Et

Et videas filios filiorum tuorum; pacem super Israël.

Gloria Patri, &c.

*Ante Advent. Antiph.* Pulchra es, & decora filia Jerusalem; & terribilis, ut castrorum acies ordinata.

*In Advent. Antiph.* Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum.

*Post Advent. Antiph.* Ecce Maria genuit nobis Salvatorem, quem Joannes vi-dens exclamavit, dicens: Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi, Al-leluja.

*Ante, & post Advent. Capit. Eccl. 24.*

**I**N plateis sicut cinnamomum, & balsamum aromatizans odorem dedi; quasi myrrha electa dedi suavitatem odoris.

**R.** Deo gratias.

**V.** Post partum Virgo inviolata perman-fisti.

**R.** Dei Genitrix intercede pro nobis.

*In Advent. Capit. Isaiae 7.*

**E**cce Virgo concipiet, & pariet Fili-um, & vocabitur nomen ejus Emmanuel; butyrum, & mel comedet, ut sciatur reprobare malum, & eligere bonum. **R.** Deo gratias.

**V.** An-

**V.** Angelus Domini nunciavit Mariæ.

**R.** Et concepit de Spiritu Sancto.

Kyrie eleison. Christe eleison.

Kyrie eleison.

**V.** Domine exaudi orationem, &c.

*Ante Advent. Oratio.*

**F**Amulorum tuorum, quæsumus Domine, delictis ignosce, ut qui tibi placere de actibus nostris non valemus; Genitricis Filii tui Domini nostri intercessione salvemur. Qui tecum vivit, &c.

*In Advent. Oratio.* Deus, qui de Beatae Mariæ Virginis utero, &c. *ut supr. in Laud.*

*Post Advent. Oratio.* Deus, qui salutis, &c. *ibid.*

**V.** Domine exaudi orationem, &c.

*AD VESPERAS.*

*Ave Maria, &c.*

**V.** Deus in adjutorium, &c. *ut supr.*

*Ante Advent. Antiphon.* Dum esset Rex, &c.

*In Advent. Missus est Gabriel, &c.*

*Post Advent. O admirabile, &c.*

## P S A L M U S 109.

**D**Ixit Dominus Domino meo : sede à dextris meis.

Donec ponam inimicos tuos : scabelum pedum tuorum.

Virgam virtutis tuæ emittet Dominus ex Sion : dominare in medio inimicorum tuorum.

Tecum principium in die virtutis tuæ , in splendoribus Sanctorum ex utero ante luciferum genui te.

Juravit Dominus , & non pœnitabit eum : tu es Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech.

Dominus à dextris tuis : confregit in die iræ suæ reges.

Judicabit in nationibus , implebit ruinas : cónquassabit capita in terra multorum.

De torrente in via bibet : propterea exaltabit caput.

Gloria Patri , &c.

*Ante Advent. Antiph.* Dum esset Rex in accubitu suo , nardus mea dedit odorem suavitatis.

*In Advent.* Missus est Gabriel Angelus ad Mariam Virginem desponsatam Joseph.

*Poſt*

*Post Advent.* O admirabile commercium ! Creator generis humani animatum corpus sumens, de Virgine natī dignatus est, & procedens homo sine semine, largitus est nobis suam Deitatem.

*Ante Advent. Antiph.* Læva ejus, &c.

*In Advent.* Ave Maria, &c.

*Post Advent.* Quando natus es, &c.

*P S A L M U S* 112.

**L**AUDATE pueri Dominum : laudate nomen Domini.

Sit nomen Domini benedictum : ex hoc nunc , & usque in sæculum.

A solis ortu usque ad occasum : laudabile nomen Domini.

Excelsus super omnes gentes Dominus : & super cælos gloria ejus.

Quis sicut Dominus Deus noster, qui in altis habitat : & humilia respicit in cœlo , & in terra ?

Suscitans à terra inopem : & de stercore erigens pauperem.

Ut collocet eum cum princibus : cum principibus populi sui.

Qui habitare facit sterilem in domo : matrem filiorum lætantem.

Gloria Patri, &c.

Nisi Dominus custodierit civitatem :  
frustra vigilat , qui custodit eam.

Vanum est vobis ante lucem surge-  
re : surgite , postquam federitis , qui man-  
ducatis panem doloris.

Cum dederit dilectis suis somnum :  
ecce hæreditas Domini , filii ; merces ,  
fructus ventris.

Sicut sagittæ in manu potentis ; ita  
filii excusorum.

Beatus vir , qui implevit desiderium  
suum ex ipsis : non confundetur , cùm  
loquetur inimicis suis in porta.

Gloria Patri , &c.

*Ante Advent. Antiph.* Jam hyems trans-  
iit , imber abiit , & recessit ; Surge ami-  
ca mea , & veni.

*In Advent.* Dabit ei Dominus sedem  
David Patris ejus , & regnabit in æter-  
num.

*Post Advent.* Germinavit radix Jesse ,  
orta est stella ex Jacob , Virgo perperit  
Salvatorem ; te laudamus , Deus noster.

*Ante Advent. Antiph.* Speciosa facta  
es . &c.

*In Advent.* Ecce Ancilla &c.

*Post Advent.* Ecce Maria &c.

PSAL.

## PSALMUS 147.

**L**AUDA Jerusalem Dominum : lauda Deum tuum Sion.

Quoniam confortavit seras portarum tuarum : benedixit filiis tuis in te.

Qui posuit fines tuos pacem : & adipe frumenti satiat te.

Qui emittebat eloquium suum terræ ;  
velociter currit sermo ejus.

Qui dat nivem , sicut lanam : nebulam , sicut cinerem , spargit.

Mittit crystallum suam , sicut buccellas : ante faciem frigoris ejus , quis sustinebit ?

Emittebat verbum suum , & liquefaciet ea : flabit spiritus ejus , & fluent aquæ.

Qui annunciat verbum suum Jacob : justitias , & judicia sua Israël.

Non fecit taliter omni nationi : & judicia sua non manifestavit eis.

Gloria Patri , &c.

*Ante Advent. Antiph.* Speciosa facta es , & suavis in deliciis tuis , sancta Dei Genitrix ,

*In Advent.* Ecce ancilla Domini , fiat mihi secundum verbum tuum.

*Post Advent.* Ecce Maria genuit nobis Salvatorem, quem Joannes videns exclamavit, dicens : Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi, Alleluja.

*Ante, & post Advent. Capit. Eccl. 24.*

**A**B initio, & ante sæcula creata sum, & usque ad futurum sæculum non desinam, & in habitatione sancta coram ipso ministravi.

R. Deo gratias.

*In Advent. Capit. Isaiae. II.*

**E**Gredietur virga de radice Jesse, & flos de radice ejus ascendet, & requiescat super eum Spiritus Domini.

R. Deo gratias.

## HYMNUS

**A**ve Maris stella,  
Dei Mater Alma,  
Atque semper Virgo,  
Felix cœli porta.  
Sumens illud Ave,  
Gabrielis ore,  
Funda nos in pace,  
Mutans Evæ nomen.  
Solve vincla reis,  
Profer lumen cæcis,

Mala

Mala nostra pelle :  
 Bona cuncta posse.  
**M**onstra te esse Matrem,  
 Sumat per te preces,  
 Qui pro nobis natus,  
 Tulit esse tuus.  
**V**irgo singularis,  
 Inter omnes mitis ,  
**N**os culpis solutos,  
 Mites fac , & castos.  
**V**itam præsta puram ;  
 Iter para tutum ,  
**U**t videntes JEsum ,  
 Semper collætemur.  
**S**it laus Deo Patri ,  
 Summo Christo decus ,  
**S**piritui Sancto ,  
 Tribus honor unus. Amen.

**V.** Diffusa est gratia in labiis tuis.

**R.** Propterea benedixit te Deus in æternum.

*Ante Advent. Antiph. Beata Mater &c.*

*In Advent. Spiritus Sanctus &c.*

*Post Advent. Magnum hæreditatis mysterium. &c.*

*Temp. Pasch. Antiph. Regina cœli &c.*

*CANTICUM B. M. V. Luc. i.*

**M**anificat anima mea Dominum.  
Et exultavit spiritus meus in Deo  
salutari meo.

Quia respexit humilitatem ancillæ  
suæ : ecce enim ex hoc beatam me di-  
cent omnes generationes.

Quia fecit mihi magna , qui potens  
est : & sanctum nomen ejus.

Et misericordia ejus à progenie in  
progenies : timentibus eum.

Fecit potentiam in brachio suo ; di-  
spersit superbos mente cordis sui.

Deposuit potentes de sede , & exal-  
tavit humiles.

Esurientes implevit bonis : & divites  
dimisit inanes.

Suscepit Israël puerum suum : re-  
cordatus misericordiæ suæ.

Sicut locutus est ad Patres nostros :  
Abraham , & semini ejus in sæcula.

Gloria Patri , &c.

*Ante Advent. Antiphon.* Beata Mater,  
& intacta Virgo , gloria Regina mun-  
di , intercede pro nobis ad Dominum.

*In Advent.* Spiritus Sanctus in te de-  
scendet Maria ; ne timeas , habebis in ute-  
ro filium Dei. Alleluja. Post

*Post Adventu.* Magnum hæreditatis Mysterium ! templum Dei factus est ute-  
rus nescientis virum ; non est pollutus,  
ex ea carnem assumens : omnes gentes  
venient dicentes : Gloria tibi Domine.

*Tempore Paschali dicitur Antiph.* Re-  
gina cœli, &c. *ut supra in Laud.*

Kyrie eleison. Christe eleison.  
Kyrie eleison.

V. Domine exaudi orationem meam.

R. Et clamor meus ad te veniat.

*Ante Advent. Oratio.*

COncede nos famulos tuos, quæsumus  
Domine Deus, perpetua mentis, &  
corporis sanitate gaudere ; & gloria B.  
M. semper Virginis intercessione, à præ-  
senti liberari tristitia, & æternâ perfrui  
lætitia. Per Christum Dominum nostrum.  
R. Amen.

*Post Advent. Oratio.* Deus, qui salu-  
tis, &c *ut supra.*

*In Advent. Oratio.* Deus, qui de B.  
Mariæ Virginis utero, *ut supra.*

*Orationes pro Sanctis adduntur hic eti-  
am, ut in Laud. & in fine earum.*

V. Domine exaudi, &c, *ut in Laud.*

***AD COMPLETORIUM.***

Ave Maria, &c.

**V.** Converte nos Deus salutaris noster.

**R.** Et averte iram tuam à nobis.

**V.** Deus in adjutorium, &c.

Gloria Patri, &c. Alleluja.

**P S A L M U S** 128.

**S**æpe expugnaverunt me à juventute  
mea : dicat nunc Israël.

Sæpe expugnaverunt me à juventu-  
te mea : etenim non potuerunt mihi.

Supra dorsum meum fabricaverunt  
peccatores : prolongaverunt iniquitatem  
suam.

Dominus justus concidit cervices  
peccatorum : confundantur, & convér-  
tantur retrorsum omnes , qui oderunt  
Sion.

Fiant sicut fœnum tectorum ; quod  
priusquam evellatur , exaruit.

De quo non implevit manum suam,  
qui metit : & sinum suum , qui manipu-  
los colligit.

Et non dixerunt, qui præteribant,  
benedictio Domini super vos: benedixi-  
mus vobis in nomine Domini.

Gloria Patri, &c.

**PSAL.**

## P S A L M U S 129.

**D**E profundis clamavi ad te Domine :  
Domine exaudi vocem meam.

Fiant aures tuæ intendentes : in vo-  
cem deprecationis meæ.

Si iniurias obliuivaveris Domine :  
Domine quis sustinebit ?

Quia apud te propitiatio est : & pro-  
pter legem tuam sustinui te Domine.

Sustinuit anima mea in verbo ejus :  
speravit anima mea in Domino.

A custodia matutina usque ad no-  
item : speret Israël in Domino.

Quia apud Dominum misericordia :  
& copiosa apud eum redemptio.

Et ipse redimet Israël : ex omnibus  
iniuriatibus ejus.

Gloria Patri, &c.

## P S A L M U S 130.

**D**omine non est exaltatum cor meum,  
neque elati sunt oculi mei.

Neque ambulavi in magnis, neque  
in mirabilibus super me.

Si non humiliter sentiebam : sed ex-  
altavi animam meam.

Sicut ablactatus est super matre sua :  
ita retributio in anima mea.

Speret

Speret Israel in Domino : ex hoc  
nunc, & usque in sæculum.

Gloria Patri, &c.

*Hymns.* Memento rerum, &c. *ut  
supr. ad Primam.*

*Ante, & post Advent. Capit. Eccl. 24.*

**E**go Mater pulchræ dilectionis, & ti-  
moris, & agnitionis, & sanctæ spei.  
R. Deo gratias.

V. Ora pro nobis sancta Dei Genitrix.

R. Ut digni efficiamur promissionibus  
Christi.

*Ante Advent. Antiph. Sub tuum præ-  
sidium, &c.*

*In Advent. Capit. Isaiae 7.*

**E**cce Virgo concipiet, & pariet filium,  
& vocabitur nomen ejus Emmanuel;  
butyrum, & mel comedet, ut sciat re-  
probare malum, & eligere bonum.

R. Deo gratias.

V. Angelus Domini nunciavit Mariæ.

R. Et concepit de Spiritu Sancto.

*In Advent. Antiph. Spiritus Sanctus  
in te descendet, &c.*

*Post Advent. Antiph. Magnum hære-  
ditatis, &c.*

CAN.

CANTICUM SIMEONIS. *Luc. 2.*

**N**unc dimittis servum tuum Domine :  
secundum verbum tuum in pace.

Quia viderunt oculi mei salutare  
tuum

Quod parâsti : ante faciem omnium  
populorum.

Lumen ad revelationem gentium :  
& gloriam plebis tuæ Israël.

Gloria Patri, &c.

*Ante Advent. Antiph.* Sub tuum præsi-  
dium configimus sancta Dei Genitrix ;  
nostras deprecationes ne despicias in ne-  
cessitatibus nostris ; sed à periculis cun-  
ctis libera nos semper, Virgo gloria, &  
& benedicta.

*Tempora Pasch. autem dicitur* Regina  
cœli, &c. *ut supra.*

*In Advent.* Spiritus Sanctus in te de-  
scendet Maria : ne timeas, habebis in  
in utero Filium Dei. Alleluja.

*Post Advent. Antiph.* Magnum hære-  
ditatis mysterium : templum Dei factus  
est uterus nescientis virum ; non est pollu-  
tus ex ea carnem assumens : omnes gen-  
tes venient dicentes : Gloria tibi Do-  
mine.

Kyrie

Kyrie eleison.      Christe eleison.  
Kyrie eleison.

V. Domine exaudi orationem meam.  
R. Et clamor meus ad te veniat.

*Ante Advent. Oratio.*

**B**eatæ, & gloriofæ sempérque Virgi-  
nis Mariæ, quæsumus Domine, in-  
tercessio gloria nos protegat, & ad vi-  
tam perducat æternam. Per Dominum  
nostrum, &c.

*In Advent. Oratio.* Deus qui de Bea-  
tæ Mariæ Virginis utero, &c. *ut supr.*  
*in Laud.*

*Post Advent. Oratio.* Deus qui salutis  
æternæ, &c. *ibidem.*

V. Domine exaudi orationem meam.

R. Et clamor meus ad te veniat.

V. Benedicamus Domino,

R. Deo gratias.

*Bened.* Benedicat, & custodiat nos  
omnipotens, & misericors Dominus, Pa-  
ter, & Filius, & Spiritus Sanctus.

R. Amen.

*Deinde dicitur una ex Antiphonis posi-  
tis post Laudes pro tempore, cum V. & Grat.  
& dicto versu:* Divinum auxilium, &c.  
*dicitur secreto* Pater noster, Ave Maria,  
& Credo.   Laus

\*. Laus Deo, pax vivis, sanitas infirmis, requies defunctis.

R. Deo gratias.

\*. Beata viscera Mariæ Virginis, quæ portaverunt æterni Patris Filium.

\*. Et beata ubera, quæ lactaverunt Christum Dominum.

*Bened.* Nos cum prole pia, benedicit Virgo Maria. R. Amen.

*Ut indulgentiam defectuum in orando Officio commissorum, consequaris; dic sequentem Orationem, cui Leo X. id concessit.*

#### O R A T I O.

S Acrostanæ, & individuæ Trinitati, Crucifixi Domini Nostri JESU Christi Humanitati, Beatissimæ & Gloriosissimæ, semperque Virginis Mariæ fœcundæ integritati, & omnium Sanctorum universitati, sit sempiterna laus, honor, virtus, & gloria ab omni creatura, nobisque remissio omnium peccatorum, per infinita saecula saeculorum. Amen.

#### O R A T I O A N T E O F F I C I U M

*dicenda.*

A Peri Domine os meum ad benedicendum nomen sanctum tuum, munda quoque cor meum ab immundis, vanis, & per-

N

ver-

versis cogitationibus, intellectum Cœlesti lumine illustra, voluntatem amoris tui igne inflamma, ut dignè, & attentè in conspectu tuo hoc Officium recitare valeam, & à Divina Majestate tua exaudiri merear. Per Christum Dominum nostrum.

*ALIA.*

**D**omine in unione intentionis, quâ ipse laudes DEO persolvisti, has tibi horas persolvo. In nomine Patris &c. *Et tunc primo incipe.*

C V L T V S  
**MAGNÆ MATRIS**  
 Sempérque  
**IMMACULATÆ VIRGINIS**  
**M A R I A.**

**A**ve Maria gratiâ plena, Dominus tecum ; tua gratia sit mecum. Benedicta tu in mulieribus : & benedicta sit sancta Anna Mater tua, ex qua sine peccato, & macula processisti. Ave sanctissima

Etissima Maria, Mater Dei, Regina cœli, porta paradisi, Domina mundi, pura, singularis tu es Virgo: Tu concepisti JESUM sine peccato: Tu peperisti Creatorem, & Salvatorem mundi, in quo non dubito, libera me ab omni malo, & ora pro peccatis meis. Amen.

*Orantibus hanc orationem coram Imagine B. Virg. concessit Sextus IV. aliquot millium annorum Indulgentias.*

## OFFICIVM. DE IMMACULATA CONCEPTIONE B. VIRGINIS MARIAE.

**Q**UOD GRATISSIMUM SIBI ESSE REVELAVIT DEI-  
para devoto famulo suo Alfonso Ro-  
driguez Soc. JESU. Et quod innumeri lau-  
dabili consuetudine quotidie constanter reci-  
tare solent, eo sanè pietatis suæ fructu, ut  
ad conservandam animi, & corporis purita-  
tem, vitæque innocentiam plurimum sibi pre-  
desse experiantur.

Ad maiorem devotionem, fructumque  
spiritualem præmitte Matutino, horis, Ve-  
N 2 speris,

speris, & Completorio, singulis singulas salutationes Angelicas, cum affectuosa commemoratione nonnullorum gaudiorum, quæ ipsamet B. Virgo docuit sanctum Thomam Archi-Epis. Cantuar. suum singularem favorem promittens in morte iis, qui ea ad sui honorem devote in vita recolerent.

## AD MATUTINUM.

I. Ave Maria (quæ post Sanctissimam Trinitatem supra omnes creaturas maximum in Cœlo gaudium habes) gratiâ plena, Dominus tecum, &c.

V. Eja mea labia nunc annunciate:

R. Laudes, & præconia Virgini Beatæ.

V. Domina in adjutorium meum intende:

R. Me de manu hostium potenter defende.

Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto: Sicut erat in principio, & nunc, & semper, & in sæcula sæculorum. Am. Alleluja. Vel: Laus tibi Domine, Rex æternæ gloriæ.

## HYMNS.

SALVE mundi Domina, Cœlorum Regina:

Salve Virgo Virginum, Stella matutina,

Salve

**S**alve plena gratiæ, clara lux Divina:  
 Munda in auxilium Domina festina.  
**A**b æterno Dominus te præordinavit,  
 Matrem Unigeniti Verbi, quô creavit.  
**T**erram, pontum, æthera, te pulchram or-  
 navit :  
**S**ibi Sponsam, in qua Adam non pec-  
 cavit.  
**V.** Elegit eam Deus, & præelegit eam :  
**R.** In tabernaculo suo habitare fecit eam.  
**V.** Domina exaudi orationem meam :  
**R.** Et clamor meus ad te veniat.

**O R E M U S.**

**S**ancta MARIA, Regina Cœlorum, Ma-  
 ter Domini nostri JESU Christi, &  
 mundi Domina, quæ nullum derelinquis,  
 & nullum despicias : respice me Domina  
 clementer oculō pietatis tuæ, & impetra  
 mihi apud tuum dilectum Filium cuncto-  
 rum veniam peccatorum ; ut, qui nunc  
 tuam Sanctam, & Immaculatam Concep-  
 tionem devoto affectu recolo, æternæ  
 in futurum beatitudinis bravium capiam,  
 ipso, quem Virgo peperisti, donante Do-  
 mino nostro JESU Christo. Qui cum Pa-  
 tre, & Spiritu Sancto vivit, & regnat in  
 Trinitate perfecta Deus, in sæcula sæculo-  
 rum. Amen.      N 3      **V.** Do-

- ¶. Domina exaudi orationem meam :  
 R. Et clamor meus ad te veniat.  
 ¶. Benedicamus Domino :  
 R. Deo gratias.  
 ¶. Fidelium animæ per misericordiam  
     Dei requiescant in pace :  
 R. Amen.

### *AD PRIMAM.*

- II. Ave Maria (quæ laureolâ Virgi-  
     num omnes choros Angelorum, & homi-  
     num præis) gratia plena, &c.  
 ¶. Domina in adjutorium, &c. *ut supra*  
     Gloria Patri, &c. *ut supra*.

### *HYMNUS.*

**S**Alve Virgo sapiens, domus Deo di-  
     cata,  
     Columna septemplici, mensaque exor-  
     nata.

Ab omni contagio mundi præservata ;  
     Ante sancta in utero Parentis, quam  
     nata.

Tu Mater viventium, & porta es San-  
     ctorum :

Nova Stella Jacob, Domina Angelorum.  
 Zabulo terribilis acies castrorum,  
     Portus, & refugium sis Christianorum.

¶. Ipse

- ¶. Ipse creavit illam in Spiritu Sancto :  
 ¶. Et effudit illam super omnia opera sua.  
 ¶. Domina exaudi, &c. *cum oratione, ut supra.*

### AD TERTIAM.

III. Ave Maria (quæ magno lumine  
gloriæ tuæ illuminas ad instar solis totum  
Cœlum) gratiâ plena, &c.

- ¶. Domina in adjutorium, &c. *ut supra*  
 Gloria Patri, &c. *ut supra.*

### HYMNS.

S Alve Arca fœderis, Thronus Salomo-  
nis,

Arcus pulcher ætheris, Rubus visio-  
nis.

Virga frondens germinis, Vellus Gede-  
onis,

Porta clausa Numinis, Favûsque Sam-  
sonis.

Decebet tam nobilem natum præcavere  
Ab originali labe matris Evæ.

Almain, quam elegerat, Genetricem  
verè.

Nulli prorsus sinens culpæ subjacere.

¶. Ego in altissimis habito :

¶. Et thronus meus in columna nubis.

¶. Domina exaudi, &c. *cum oratione;*  
*ut supra.*

### AD SEXTAM.

IV. Ave Maria (quæ ab omnibus  
 cœlitibus honoraris, ut Mater Dei, &  
 Cœli Regina) gratiâ plena, &c.

¶. Domina in adjutorium, &c. *ut supra.*  
 Gloria Patri, &c.

### HYMNVS.

S Alve Virgo puerpera, Templum Tri-  
 nitatis;

Angelorum gaudium, Cella puritatis.  
 Solamen mœrentium, hortus voluptatis,  
 Palma patientiæ, cedrus castitatis.

Terra es benedicta, & Sacerdotalis,  
 Sancta, & immunis culpæ originalis.

Civitas Altissimi, Porta orientalis :

In te est omnis gratia, Virgo singularis.

¶. Sicut lilium inter spinas :

¶. Sic amica mea inter filias Adæ.

¶. Domina exaudi, &c. *cum oratione,*  
*ut supra.*

### AD NONAM.

V. Ave Maria (quæ potestatem à Fi-  
 lio tuo accepisti quidvis impetrandi) gra-  
 tiâ plena, &c. ¶. Do-

\*. Domina in adjutorium, &c. *ut supra.*  
Gloria Patri, &c.

## H Y M N U S.

S Alve urbs refugii, Turrísque munita,  
David propugnaculis, arimisque in-  
signita.

In Conceptione charitate ignita,  
Draconis potestas est à te contrita.

O mulier fortis, & invicta Judith,  
Pulchra Abisai Virgo, verum fovens  
David.

Rachel Curatorem Ægypti gestavit:  
Mundi Salvatorem Maria portavit.

X. Tota pulchra es amica mea:

X. Et macula originalis nunquam fuit  
in te.

\*. Domina exaudi, &c. *cum oratione,*  
*ut supra.*

## AD VESPERAS.

VI. Ave Maria (quæ devotos quo-  
que tibi servos ad ineffabilem peculiaris  
gloriae coronam à Filio tuo præparatam  
promoves, sicut & ipsa in terris ineffa-  
bili gratiâ fuisti donata) gratiâ plena, &c.  
\*. Domina in adjutorium, &c. *ut supra.*

Gloria Patri, &c.

## HYMNUS

**S**Alve horologium, quō retrō gradia-  
tur

Sol in decem lineis, Verbum incarna-  
tur,

Homo ut ab inferis ad summa attolatur,

Immensus ab Angelis paulò minoratur.

Solis hujus radiis Maria coruscat,

Consurgens aurora in conceptu micat,

Lilium inter spinas, quæ serpentis con-  
terat

Caput, pulchra ut luna, errantes col-  
lustrat.

¶. Ego feci in Cælis, ut oriretur lumen  
indeficiens :

¶. Et quasi nebula texi omnem terram.

¶. Domina exaudi, &c. *cum oratione*,  
*ut supra*.

## AD COMPLETORIUM.

VII. Ave Maria (cujns gloria, &  
cultus in terris ad extremum usque ju-  
dicii diem continuò augmentò crescat)  
gratiâ plena, &c.

¶. Convertat nos Domina tuis precibus  
placatus JESUS Christus Filius tuus:

¶. Et avertat iram suam à nobis.

¶. Do-

\*. Domina in adjutorium, &c. *ut supra.*  
Gloria Patri, &c.

## HYMNVS.

**S**Alve Virgo florens, Mater illibata,  
Regina clementiae, stellis coronata;  
Supra omnes Angelos pura, immaculata;  
Atque ad Regis dexteram stans veile  
deaurata.

Per te Mater gratiae dulcis spes reorum,  
Fulgens stella maris, portus naufragorum,

Patens cœli janua, salus infirmorum:  
Videamus Regem in Aula Sanctorum.

\*. Oleum effusum Maria nomen tuum:

¶. Servi tui dilexerunt te nimis.

\*. Domina exaudi, &c. *cum oratione,*  
*ut supra.*

## COMMENDATIO.

**S**Uplices offerimus tibi Virgo pia,  
Has horas canonicas; fac, nos ut in  
via

Ducas cursu prospero, & in agonia  
Tu nobis assiste, ô dulcis MARIA.

Amen. Deo gratias.

*Antiph.* Hæc est virga, in qua nec  
nodus originalis, nec cortex actualis cul-  
pæ fuit. \* In

\*; In conceptione tua Virgo immaculata fuisti:

\*. Ora pro nobis Patrem, cuius Filium  
peperisti:

**O R E M U S.**

**D**EUS, qui per Immaculatam Virginis Conceptionem dignum Filio tuo habitaculum præparâsti: quæsumus; ut sicut ex morte ejusdem Filii tui prævisa, eam ab omni labe præservâsti; ita nos quoque mundos ejus intercessione ad te pervenire concedas. Per eundem Dominum nostrum IESUM Christum Filium tuum, qui tecum vivit, & regnat in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

**L I T A N I Æ**  
**L A V R E T A N Æ.**

**K**yrie eleison, Christe eleison,  
Kyrie eleison.

Christe audi nos, Christe exaudi nos.  
Pater de Cœlis Deus, Miserere nobis.  
Fili Redemptor mundi Deus, Miserere nobis.

Spiritus Sancte Deus, Miserere nobis.  
Sancta

Sancta Trinitas unus Deus,      Miserere  
nobis.

Sancta Maria,      Ora pro nobis.

Sancta Dei Genitrix,  
Sancta Virgo Virginum,

Mater Christi,

Mater Divinæ gratiæ,

Mater purissima,

Mater castissima,

Mater inviolata,

Mater intemerata,

Mater amabilis,

Mater admirabilis,

Mater Creatoris,

Mater Salvatoris,

Virgo prudentissima,

Virgo veneranda,

Virgo prædicanda,

Virgo potens,

Virgo clemens,

Virgo fidelis,

Speculum justitiae,

Sedes sapientiae,

Causa nostræ lœtitiae,

Vas spirituale,

Vas honorabile,

Vas insigne devotionis,

Ora pro nobis.

Rosa

Rosa mystica,  
 Turris Davidica,  
 Turris eburnea,  
 Domus aurea,  
 Fœderis arca,  
 Janua cœli,  
 Stella matutina,  
 Salus infirmorum,  
 Refugium peccatorum,  
 Consolatrix afflictorum,  
 Auxilium Christianorum,  
 Regina Angelorum,  
 Regina Patriarcharum,  
 Regina Prophetarum,  
 Regina Apostolorum,  
 Regina Martyrum,  
 Regina Confessorum,  
 Regina Virginum,  
 Regina Sanctorum omnium,  
 Patrona Hungariæ,  
 Advocata nostra.

Agnus DEI , qui tollis peccata mundi,  
 Parce nobis Domine.

Agnus DEI , qui tollis peccata mundi,  
 Exaudi nos Domine.

Agnus DEI , qui tollis peccata mundi,  
 Miserere nobis.

Christe

Ora pro nobis.

Christe audi nos, Christe exaudi nos.  
 Kyrie eleison, Christe eleison,  
 Kyrie eleison.

Pater noster. Ave Maria.

**S**ub tuum præsidium confugimus Sancta Dei Genitrix, nostras deprecationes ne despicias in necessitatibus nostris, sed à periculis cunctis libera nos semper Virgo gloria, & benedicta. Domina nostra, Mediatrix nostra, Advocata nostra, tuo Filio nos reconcilia, tuo Filio nos commenda, tuo Filio nos repræsenta.

- \*. Ora pro nobis Sancta Dei Genitrix :
- \*. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

### OREMUS.

**G**ratiam tuam, quæsumus Domine, mentibus nostris infunde; ut, qui Angelo nunciante Christi Filii tui Incarnationem cognovimus, per Passionem ejus, & Crucem ad Resurrectionis gloriam perducamur. Per eundem Christum Dominum nostrum, &c. Amen.

- \*. Ora pro nobis Beatissime Joseph :
- \*. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

ORE.

## OREMUS.

**S**Anctissimæ Genitricis tuæ Sponsi, quæsumus Domine, meritis adjuvemur; ut, quod possibilitas nostra non obtinet, ejus nobis intercessione donetur. Qui vivis, & regnas cum Deo l'atre in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

- ¶. Domine exaudi orationem meam :
- ¶. Et clamor meus ad te veniat.
- ¶. Benedicamus Domino :
- ¶. Deo gratias.
- ¶. Et fidelium animæ per misericordiam  
Dei requiescant in pace :
- ¶. Amen.

### *Oratio ad B. Virginem Mariam Auxiliatricem.*

**O** Excellentissima, gloriofissima, atque sanctissima semper intemerata Virgo MARIA, Mater Domini nostri IESU Christi, Regina mundi, & totius creaturæ Domina ! quæ nullum derelinquis, nullum despicias, nullum, qui ad te puro corde recurrit, desolatam dimittis. Noli me despicere propter innumerabilia, & gra-

gravissima peccata mea. Noli derelin-  
quere me propter nimias iniquitates me-  
as, nec etiam propter duritiam, & im-  
munditiam cordis mei. Ne abjicias me  
famulum tuum à gratia tua, & amore  
tuo. Exaudi me miserum peccatorem N.  
in tua misericordia, & pietate confiden-  
tem. Succurre mihi piissima Virgo MA-  
RIA in omnibus tribulationibus, angustiis,  
& necessitatibus meis, & in cunctis ope-  
ribus meis; & da mihi dulcissima, & piis-  
sima Virgo Maria, virtutem contra omnes  
tentationes hujus mundi, carnis, & dia-  
boli; & impetra mihi à dilecto Filio tuo  
omnipotente Deo Domino nostro Jesu Chri-  
sto indulgentiam, & remissionem omnium  
peccatorum meorum, emendationem vi-  
tae, spatium veræ pœnitentiae, augmen-  
tum virtutum, & gratiam timoris sui,  
sanitatem quoquè, & castitatem corporis,  
& animæ; intellectum, & memoriam suæ  
legis, & voluntatis, & liberationem ab  
omnibus malis, & periculis animæ, &  
corporis. In extremis meis esto mihi pia  
auxiliatrix, & animam meam, ac animas  
omnium Parentum meorum, fratrum,  
sororum, & aliorum amicorum, consan-

O gyne-

gvineorum, benefactorum, omnium vivorum, & defunctorum, ab æterna caligine, & omni malo libera, illo auxilante, quem in tuo sanctissimo utero novem mensibus portâsti, & in præsepe tuis sanctis manibus reclinâsti Dominum nostrum JESUM Christum Filium tuum, qui est benedictus in sæcula sæculorum. Amen.

### *Oratio ad B. Virginem.*

**S**ALUTO te humillimè, laudo, & glorifico ô Sancta MARIA ! Dominâ mea clementissima, purissima, sanctissima, felicissima ; Regina Angelorum potentissima ; Patriarcharum, Prophetarum, & Apostolorum gloriosissima ; Martyrum fortissima ; Virginum, Viduarum, & omnium Sanctorum mundissima ; Dei Mater verissima. Tu nôsti miseras meas, infirmitatem, & vulnera, paupertatem, & nuditatem. Ecce gemitus meus, & langvor desiderii mei coram te est, sicut ubicunque fuerit corpus, congregantur & aquilæ : ita ubicunque fuerit miseria, tua currit, & succurrit misericordia. Ad eodam pietate replentur ubera tua, ut tacta aliquius miseriarum notitiâ, lac fundant misericordia.

ricordiæ , nec potes miserias scire, & non subvenire. Ecce pedibus tuis advolutus, ô asylum miserorum ! ô mediatrix inter Deum, & homines ! humiliter te rogo , & obtestor maternum pectus tuum , per eum amorem , quô JEsum Filium tuum diligis ; per eam charitatem , quâ nos in servos , clientes , & indignos filios tuos adscivisti ; impetra mihi plenam remissio- nem peccatorum , verissimam eorum de- testationem , & dignos in hac vita pœni- tentiæ fructus ; generosam item mortifi- cationem sensuum , & passionum mearum , & plenissimam temptationum victoram Ex- ora mihi augmentum Fidei , certam spem , perfectam charitatem , integrum resigna- tionem in Filii tui voluntatem , puritatem intentionis , affectum devotionis erga JE- sum Christum , Venerabile Sacramentum ; & erga te Dominam , & Matrem meam. Impetra mihi obedientiam erga Superio- res , affabilitatem , & mansuetudinem er- ga omnes , profundam humilitatem , ma- gnanimitatem , & in adversis patientiam ; ac denique perseverantiæ donum , san- etam , & felicem mortem. Eja Advoca- ta nostra ! exhibe mihi in hora mortis meæ

jucundissimam præsentiam tuam, & adversùs ardores iustitiae Divinæ umbrâ tuâ contege. Ita eris mihi semper Domina, & Regina clementissima, tuumque honorem, & cultum, quibus potero obsequiis, & officiis tuò confirmatus favore, promovere conabor. Amen.

### *Alia.*

**O** Clementissima Virgo MARIA, Mater Dei, miserere mei peccatoris miserrimi! multæ, & graves sunt iniquitates meæ: sed tu Domina responde pro me, propter dulcissimam pietatem tuam, remove à me omne salutis impedimentum; impetra mihi veram puritatem, & innocentiam, & Spiritum bonum; impetra sanctam humilitatem, & patientiam, & charitatem, & continentiam, & sobrietatem, & confidentiam. Adesto mihi nunc, & in hora mortis meæ, ipsum obitum meum attentiùs tibi commendo, benignè me tunc consolare, conforta, & protege. Efice tuis meritis, ut anima mea tota munda hinc exeat, & ad vitam æternam perveniat. Amen.

Suscipe

**S**uscipe in te hoc onus protegendi me, ô Consolatrix afflitorum, Protectrix ad te confugientium, baculus nostræ infirmitatis! quæ semper exaudis opertos sceleribus ad te confugientes. Intercede pro me apud Filium tuum, & omnia ad meum fluent votum. Filius tuus misericors est, & nihil eorum amore tui negare potest, quæ te Mediatrixe petimus. Non me despice ô MARIA! respice lacrymas meas; confirma proposita mea, ô Adiutrix mea, & refrigerium meum! Tu es mihi porta ad misericordiam; per te ingrediar, progredere obviam, & brachiis apertis excipe accurrentes ad tuam pietatem. Tu es spes mea, tecum, & per te sperabo. Amen.

### *Ad Virginem Mariam.*

**M**Emorare ô piissima, ac gloriofissima Virgo MARIA, Mater misericordiarum! à saeculo non esse auditum, ad tua currentem praesidia, aut tua petentem suffragia, à te Virgo Virginum MARIA derelictum. Idcirco tali animatus fiduciâ ad te Virgo Virginum, Regina Cœlorum, ô MARIA Mater Domini no-

stri JESU Christi ! confugio ; ad te Stella maris curro , coram te miser gemens , & tremens assisto : noli ô Domina mundi ! noli æterni Verbi Mater verba mea despicere ; sed audi propitia , & exaudi me miserum , ad te in hac lacrymarum valle clamantem , nunc , & semper , maximè in hora mortis meæ . O clemens ! ô pia ! ô dulcis Virgo MARIA ! Amen .

### *Oratio devotissima de Nominе MARIÆ.*

O Bona MARIA ! ô piissima MARIA ! ô dulcissima MARIA ! MARIA Mater Domini nostri JESU Christi , plena misericordiâ , & pietate , ô dulcis MARIA ! secundum magnam misericordiam tuam miserere mei : ô clementissima MARIA ! te deprecor per illum sanguinem pretiosum Filii tui , quem pro me misero peccatore effundere voluit ; ut respicias in me miserum , & indignum , humiliter veniam petentem , & hoc nomen sanctum tuum MARIA invocantem . O nomen MARIA , nomen dulce ! nomen MARIA , nomen deletabile ! nomen MARIA , nomen gratiosum , & salutiferum . Quid est enim MA-

MARIA? nisi stella maris. Ergo MARIA, propter nomen sanctum tuum esto mihi MARIA: luceas, & appareas mihi hoc procellosum mare naviganti, & ne permittas me naufragari, nec in vocatione vacillare, cui tu salutem peperisti; ne perdat me iniquitas mea, quem fecit omnipotens bonitas Filii tui, & pretioso sanguine redemit. O dulcis MARIA! recognosce, quod IESU Christi Filii tui in me est; & absterge, quod mundi, carnis, & amoris proprii est. O benignissima Mater! miserere mei, dum tempus est miserendi, ne naufragium salutis, & præsertim in portu patiar: quæ mihi utilitas in Sangvine Filii tui, si descendero in æternam corruptionem? non mortui laudabunt te Domina, cum Filio tuo benedicto IESU. O amantissima MARIA! ô desideratissima MARIA! ô mitissima MARIA! ô MARIA, MARIA, MARIA! Virgo ante partum, Virgo in partu, & Virgo post partum, admitte me in numerum filiorum tuorum, & eleætis Filii tui fac me adscribi. O MARIA salus in te sperantium! ô MARIA solatium ad te configientium! ô MARIA dulcis Advocata pro peccatis meis, & dul-

ce in temptationibus auxilium. O MARIA Mater Domini nostri JEsu Christi! impetra verum mei ipsius, & omnium terrenorum contemptum, & spiritualium, ac cœlestium amorem. Impetra Sancti Spiritus fortitudinem contra rebellantes animi motus, ac passiones. Impetra ô MARIA! veram paupertatem, castitatem, & obedientiam cum gratia, & sapientia, cum mansuetudine, & humilitate, secundum Filii tui doctrinam, & voluntatem; ut possim te cum ipso perfectè, & omnia cum ipso diligere, te laudare, te perfrui, tibi servire; & finem vocationis meæ, & salutem obtainere propriam, & aliorum: audi, & intercede pro me, & omnibus invocantibus nomen tuum, dulcissima Virgo MARIA Mater Dei, & misericordia. Amen.

### HYMNVS.

O Mni die, dic MARIÆ  
Mea laudes anima:  
Ejus festa, ejus gesta,  
Cole devotissima.  
Contemplare, & mirare  
Ejus celsitudinem:

Dic

Dic felicem Genitricem,  
Dic Beatam Virginem.

Ipsam cole, ut de mole  
Criminum te liberet:  
Hanc apella, ne procella  
Vitiorum superet.

Hæc persona, nobis dona  
Contulit cœlestia:  
Hæc Regina, nos Divinâ  
Illustravit gratiâ.

Lingva mea, dic trophæa  
Virginis Puerperæ:  
Quæ infictum maledictum  
Miro transfert germine.

Sinè fine dic Reginæ  
Mundi laudum cantica:  
Ejus dona semper sona,  
Semper illa prædica.

Omnes mei sensus ei  
Personate gloriam:  
Frequentate tam Beatæ  
Virginis memoriam.

Nullus certè tam disertæ  
Extat eloquentiæ:  
Qui condignos promat hymnos  
Ejus excellentiæ.

O 5

Omnes

Omnes laudent, unde gaudent  
     Matrem DEI Virginem :  
 Nullus singat, quod attingat  
     Ejus celsitudinem.  
 Sed necesse (quod prodesse  
     Piis constat mentibus)  
 Ut intendam, quod impendam  
     Me ipsius laudibus.  
 Quamvis sciam, quod Mariam  
     Nemo dignè prædicet :  
 Tamen vanus, & insanus  
     Est, qui illam reticet.  
 Cujus vita erudita  
     Disciplinâ cœlicâ :  
 Argumenta, & figmenta  
     Destruxit hæretica.  
 Hujus mores, tanquam flores  
     Exornant Ecclesiam :  
 Actiones, & sermones  
     Miram præstant gratiam.  
 Evæ crimen nobis limen  
     Paradyssi clauferat :  
 Hæc dum credit, & obedit,  
     Coeli claustra referat.  
 Propter Evam homo sævam  
     Accepit sententiam :

Per

Per Mariam habet viam,  
     Quæ dicit ad Patriam.  
 Hæc amanda, & laudanda  
     Cunctis specialiter:  
 Venerari, prædicari  
     Ipsam decet jugiter.  
 Ipsa donet, ut, quod monet  
     Natus ejus, faciam:  
 Ut finitâ carnis vitâ,  
     Lætus hunc aspiciam.  
 O cunctarum fœminarum  
     Decus, atque gloria!  
 Quam electam, & evectam  
     Scimus super omnia.  
 Clemens audi, tuæ laudi  
     Quos instantes conspicis:  
 Munda reos, & fac eos  
     Donis dignos cœlicis.  
 Virga Jessæ, spes oppressæ  
     Mentis, & refugium:  
 Decus mundi, lux profundi,  
     Domini Sacrarium.  
 Vitæ forma, morum norma,  
     Plenitudo gratiæ:  
 Dei templum, & exemplum  
     Totius justitiæ.

Virgo

Virgo salve, per quam valvæ  
     Cœli patent miseris :  
 Quam non flexit, nec allexit  
     Fraus serpentis veteris.  
 Generosa, & formosa  
     David Regis Filia :  
 Quam elegit Rex, qui regit,  
     Et creavit omnia.  
 Geimma decens, Rosa recens,  
     Castitatis Lilium :  
 Castum chorum ad polorum  
     Quæ perducis gaudium.  
 Actionis, & sermonis  
     Facultatem tribue :  
 Ut tuorum meritorum  
     Laudes promam strenuè.  
 Opto nimis, ut inprimis  
     Mihi des memoriam ;  
 Quod decenter, & frequenter  
     Cantem tuam gloriam.  
 Quamvis muta, & polluta  
     Mea sciam labia :  
 Præsumendum. nec silendum  
     Est de tua gloria.  
 Virgo gaude, omni laude  
     Digna, & preconiō :

Quæ

Quæ damnatis, liberatis  
 Facta es occasio.  
 Semper munda, & fœcunda  
 Virgo tu Puerpera :  
 Mater alma, velut palma  
 Florens, & fructifera.  
 Ejus flore, & decore  
 Recreari cupimus ;  
 Cujus fructu, nos à luctu  
 Liberari credimus.  
 Pulchra tota, sinè nota  
 Cujuscunque maculæ :  
 Fac nos mundos, & jucundos  
 Te laudare sedulè.  
 O Beata ! per quam data  
 Nova mundo gaudia :  
 Et aperta fide certa  
 Regna sunt cœlestia.  
 Per te mundus lætabundus  
 Novò fulget lumine :  
 Antiquarum tenebrarum  
 Exutus caligine.  
 Nunc potentes sunt egentes ,  
 Sicut olim dixeras :  
 Et egeni sunt pleni ,  
 Ut tu prophetaveras .

Per

Per te morum nunc pravorum  
     Relinquuntur devia :  
 Doctrinarum perversarum  
     Pulsa sunt præstigia.  
 Mundi luxus, atque fluxus  
     Docuisti spernere :  
 Deum quære, carnem teri,  
     Vitiis resistere.  
 Mentis cursum tendi sursum  
     Pietatis studiō :  
 Corpus angi, motus frangi,  
     Pro cœlesti præmio.  
 Tu portâsti inter casti  
     Ventris claustra, Dominum  
 Redemptorem, ad honorem  
     Nos reformans pristinum.  
 Mater facta, sed intacta  
     Genuisti Filium :  
 Regem Regum, atque rerum  
     Creatorem omnium.  
 Benedicta, per quam vieta  
     Hostis est versutia :  
 Destitutis spe salutis  
     Datur indulgentia.  
 Benedictus Rex invictus,  
     Cujus Mater crederis:

Increa-

Increatus, ex te natus,  
 Nostri salus generis.  
**Reparatrix**, **Consolatrix**  
 Desperantis animæ ;  
**A pressura**, quæ ventura  
 Malis est, nos redime.

Pro me pete, ut quiete  
 Sempiternâ perfruar :  
**Ne tormentis comburentis**  
 Stagni, miser obruar.  
**Quod requiro**, quod suspiro,  
 Mea sana vulnera :  
**Et da menti**, te poscenti  
 Gratiarum munera.

Ut sim castus, & modestus,  
 Dulcis, blandus, sobrius,  
**Pius**, reëctus, circumspectus,  
 Simultatis nescius.

Eruditus, & munitus  
 Divinis eloquiis ;  
**Timoratus**, & ornatus  
 Sacris exercitiis :  
**Constans**, gravis, & suavis,  
 Benignus, amabilis,  
**Simplex**, purus, & maturus,  
 Patiens, & humilis :

Corde

Corde prudens, ore studens  
 Veritatem dicere ;  
 Malum nolens, Deum colens  
 Pio semper opere.

Esto tutrix, & adjutrix  
 Christiani populi :  
 Pacem præsta, ne molesta  
 Nos perturbent sacerduli.

Salutaris stella maris,  
 Summis digna laudibus :  
 Quæ præcellis cunctis stellis,  
 Atque luminaribus.

Tua dulci prece fulci  
 Supplices, & refove :  
 Quidquid gravat, vel depravat  
 Mentes nostras, remove.

Virgo gaudie, quod de fraude  
 Dæmonum nos liberas :  
 Dum in vera, & sincera  
 Carne Deum generas.

Illibata, & dotata  
 Cœlesti progenie :  
 Gravidata, nec fraudata  
 Flore pudicitiarum.

Nam quod eras, perseveras,  
 Dum intacta generas :

Illum

Illum tractans, atque lactans,  
     Per quam facta fueras.  
 Commendare me dignare  
     Christo tuo Filio:  
 Ut non cadam, sed evadam  
     De mundi naufragio.  
 Fac me mitem, pelle litem,  
     Compesce lasciviam:  
 Contra crimen da inunimen,  
     Et mentis constantiam.  
 Non me liget, nec fatiget  
     Sæculi cupiditas:  
 Quæ indurat, & obscurat  
     Mentes sibi subditas.  
 Nunquam ira, nunquam dira  
     Me vincat elatio:  
 Quæ multorum fit malorum  
     Frequenter occasio.  
 Ora Deum, ut cor meum  
     Suâ servet gratiâ:  
 Ne antiquus inimicus  
     Seminet zizania.  
 Da levamen, & juvamen  
     Tuum illis jugiter,  
 Tua festa, sive gesta  
     Qui colunt alacriter.

O MARIA, Virgo pia,  
 Mater admirabilis !  
 Per te Deus Judex meus  
 Mihi sit placabilis.  
 O benigna, verè digna  
 Multis amatoribus !  
 In agone fer corona  
 Præmium victoribus.

## O R E M U S.

**C**oncede nos famulos tuos, quæsumus  
 Domine Deus, perpetua mentis, &  
 corporis sanitate gaudere, & gloria Beatae  
 Mariæ semper Virginis intercessione,  
 à præsenti liberari tristitia, & æternâ per-  
 frui lætitiam. Per Dominum nostrum IESUM  
 Christum Filium tuum, qui tecum vivit,  
 & regnat in unitate Spiritus Sancti Deus,  
 per omnia sæcula sæculorum. Amen.

*Igniculus Amoris.*  
*erga B. Virginem.*

**M**ARIA gustum sentio, quando tui fit  
 mentio.  
 Opinor hoc vocabulum, amoris esse  
 pabulum.

Lac,

Lac, & mel est hæc vocula: fluunt amo-  
ris pocula;

Maria quinque literis in cor meum dum  
mitteris.

Per labra nectar diditur, cordique vox  
alliditur:

Hinc cordis in cavernula auditur Echo  
ternula.

Meum cor est triangulum, Maria quem-  
vis angulum

Tangit tui dilectio: Ubique fit refle-  
xio.

Cordis mei pars extera, sinistri pars, &  
dextera,

Et summa pars, & infima, pars ipsa  
cordis intima.

Dum te loquuntur singulæ, & sunt amo-  
ris lingvulæ,

Amando te se dedicant; dicando se,  
te prædicant.

Maria, si te prædico, Maria, si me de-  
dico;

Et si tibi cor præbeo, Maria amare  
debeo.

Cum nomen hoc reduplico, Maria ama-  
ri supplico:

Ut me tibi despondeas, amare me re-  
spondeas.

Si Virgo mecum vixeris, si cor meum  
confixeris.

Amore factus ebrius, dicam Mariam  
crebrius.

Non frangar avetudine, ullave lassitu-  
dine:

Nam cum tui fit mentio, Maria gu-  
stum sentio.

### *Oratio Joannis Lanspergii.*

**Q**UOT maris sunt guttae, caeli stellae,  
quot Beatorum Spirituum agmina,  
quot arborum folia, & terrae gramina;  
toties ex intimo cordis mei te saluto, ô  
nobilissima, eleetissima, pulcherrima,  
gloriosissima, atque dignissima Mater Dei,  
caeli Regina præclarissima, amabilissima,  
atque dulcissima Domina, Virgo Maria!  
saluto autem te in unione amoris, & per  
cor dilecti Filii tui, atque omnium te  
amantium, meque tibi commendo, atque  
in proprium filium tibi assigno. Ora eti-  
am, ut tu me suscipias, & apud Deum  
facias, ut sim tuus, tu sis mea post De-  
um

um Domina , gaudium meum , corona ,  
ac Mater mea dulcissima.

## *Oblatio sui ipsius*

### *B E A T Æ V I R G I N I .*

Pretiosissima Dei Genitrix , universorum Domina , & Princeps totius humani generis ; cui serviunt Angeli , & Archangeli , Cherubim quoquè ac Seraphim , & universi Beatorum Spirituum Ordines , cum tota Curia Cœlesti . Ego N. hominum , creaturarumque vilissimus , motu proprio , tibi secundum Deum Dominum nostrum , Dominatrici Nationum , & Principi Regum , me totum dedo in servum perpetuum . Expolio me omni meo , si quod habeo , jure , libertate , arbitrio , illudque totum in manibus tuis æternaliter depono . Posside me , ô Domina ! utere , & tanquam servum tuum tracta , & exerce . O Domina ! sic fiat , oro , & ne digneris aspernari qualecumque famuli tui obsequium . Sis tu Domina mea æterna , sim ego servus tuus æternum , dum Deus erit Deus , cui honor in æcula . Amen .

*Hymnus Innocentii III. ad B.  
Virginem Mariam.*

Ave mundi spes MARIA,  
 Ave mitis, ave pia,  
 Ave charitate plena,  
 Virgo dulcis, & serena.  
 Sancta Parens IESU Christi,  
 Electa sola fuisti,  
 Esse Mater sine viro,  
 Et lactare more miro.  
 Angelorum Imperatrix,  
 Peccatorum Consolatrix,  
 Consolare me lugentem,  
 In peccatis jam fœtentem.  
 Precor te Regina Cœli,  
 Corde pio, & fideli,  
 Me habeto excusatum,  
 Apud Christum tuum natum.  
 Nam peccavi illi soli,  
 O Maria Virgo! noli  
 Esse mihi aliena,  
 Gratia cœlesti plena.  
 Esto custos cordis mei,  
 Signa me timore Dei:  
 Da peccata me vitare,  
 Et quod justum est, amare.

Da

Da spem firmam, fidem rectam,  
 Charitatemque perfectam:  
 Da, da Virgo finem bonum,  
 Quod est super omne donum.  
 Eja rosa sine spina,  
 Peccatorum medicina!  
 Pro me Natum interpella,  
 Ut me salvet à procella,  
 Hujus mundi tam immundi,  
 Cujus fluctus furibundi,  
 Omni parte me impingunt,  
 Et peccati zonâ stringunt,  
 Miserere, miserere,  
 Miseratrix nam es verè!  
 Miserere Miseratrix,  
 Orphanorum Mediatrix!  
 Ut dum instat hora mortis,  
 Adsis mihi Virgo fortis,  
 Adsis mihi Virgo custos,  
 Et me loces inter justos.

## *Oratio, quæ S. Bernardo ab Angelo tradita fertur.*

**A**ve MARIA, Ancilla Sanctæ Trinitatis: Ave Maria, Sponsa Spiritus Sancti: Ave Maria, Mater Domini nostri JESU Christi: Ave Maria, Soror Angelico-

gelorum : Ave Maria , promissio Propheta rum : Ave Maria , Regina Patriarcharum : Ave Maria , Magistra Evangelistarum : Ave Maria , Doctrix Apostolorum : Ave Maria , Consolatrix Martyrum : Ave Maria , fons & pulchritudo Confessorum : Ave Maria , decus ac corona Virginum : Ave Maria , Salus & consolatrix vivorum , & mortuorum : Mecum sis in omnibus temptationibus , tribulationibus , necessitatibus , angustiis , & infirmitatibus meis ; & impetra mihi veniam omnium delictorum meorum , & maximè in hora exitus mei non desis mihi , ô piissima Virgo Maria ! Amen.

### *S. Athanasii Oratio ad B. V.*

**A** Ve gratiâ plena , Dominus tecum . Audi Filia Davidis , & Abrahæ , & inclina aures tuas ad preces nostras , & ne obliviscaris populi tui , neque nostri , qui sumus de famalia , & de domo Patris tui . Ad te clamamus , recordare nostri Sanctissima Virgo , & retribue nobis pro exiguis istis eloquiis magna dona ex divitiis tuarum gratiarum . Intercede he ra , & Domina , & Regina , & Mater Dei pro

pro nobis, quoniam ex nobis tu oriunda es, & is, qui editus est ex te, carnigerus Deus noster: quem decet gloria, & magnificientia, omnisque honor, & adoratio, & gratiarum actio, cum Patre initii experte; & cum Sancto, Bono, vivifico Spiritu, nunc & semper, & in saecula saeculorum. Amen.

## *Tres Oratiunculæ ad Beatissimam Virginem pro felici morte.*

### I. Ave Maria, &c.

#### *ORATIO.*

**O** Domina mea sancta Maria! sicut Deus Pater per omnipotentiam suam te potentissimam effecit: ita mihi quæso, ad sis in hora mortis, expellendo à me omnem contrariam potestatem.

### II. Ave Maria, &c.

#### *ORATIO.*

**O** Domina mea Sancta Maria! sicut te Filius Dei tanta sui cognitione, & claritate dignatus est, ut totum Cœlum illuminares: ita in hora mortis animam meam cognitione fidei sic illustres, & corrobores, ut nullo errore, aut ignorantia pervertatur.

## III. Ave Maria, &amp;c.

## ORATIO.

**O** Domina mea Sancta Maria ! sicut Spiritus Sanctus suum amorem tibi plenè infudit : ita tu in hora mortis dulcedinem amoris Divini mihi instilla, ex ex quo omnis amaritudo mihi reddatur svavissima.

**S**Antissima Dei Parens MARIA Virgo, per acerbissimæ passionis IESU Christi Filii tui merita te supplex rogo, ut si fortè hodie, vel hac horâ, vel hoc momentô me mori contigerit, mei memineris.

**O** Amantissima Mater mea ! in manus tuas commendabo animam meam, & corpus meum, & finem vitæ meæ.

**O** Domina dulcissima, visceribus misericordiæ plena, Sancta Maria ! succurre mihi misero peccatori, antequam mors subitanea, & improvisa superveniat, ne subito, & imparatus de hoc mundo transeam. Ora pro me Maria Virgo Benedicta ob Unigeniti Filii tui Domini nostri IESU Christi mortem amarissimam; ut peccati detestatione, diaboli, & operum

rum ejus abrenunciatione, vera contritione, pura, & humili confessione, pœnitentiâ, & satisfactiōne, digna Sanctissimorum Sacramentorum acceptiōne, & proximi dilectione, Filio tuo reconciliatus de hoc mundo transeam. Fac mecum misericordiam tuam, ô Beata Virgo Mater Dei! in illa tremenda hora, quando spiritus vitales deficiunt, & mortua lingua se non poterit movere ad invocandum te, neque oculi mei lucem capere poterunt, auresque meæ nulli vocipatescent.

Memor esto tunc precum, ô Maria! quas nunc fundo ad aures tuæ pietatis, & subveni mihi in illa hora ultimæ necessitatis meæ, ut liberer à ministris diaboli, & collocer cum Christi fidelibus, Filii tui servis, & amicis.

O Felix Maria! tu Mater Dei, tu Mater rei, tu Mater Judicis, tu Mater exulis; cùm sis Mater utriusque filii, nefinas filium reum damnari per Filium Deum: sed Materna pietate procura, ut filius reus reconciletur Filio, qui est Deus, & per Filium Judicem filium exulem recipere in patriam. Amen.

*Hymnus de SS. Trinitate.*

**J**Am sol recedit igneus :  
 Tu lux perennis Unitas,  
 Nostris , Beata Trinitas  
 Infunde amorem cordibus.

**T**e manè laudum carmine ,  
 Te deprecamur vespere :  
 Digneris , ut te supplices ,  
 Laudemus inter Cœlites.

**S**ummæ Parens clementiæ ,  
 Mundi regis qui machinam ;  
**U**nius & substantiæ ,  
 Trinusque personis DEUS.

**D**a dexteram surgentibus ,  
 Exurgat ut mens sobria ;  
**F**lagrans & in laudem Dei  
 Grates rependat debitas.

**T**u Trinitatis Unitas ,  
 Orbem potenter quæ regis ,  
**A**ttende laudis canticum ,  
 Quod excubantes psallimus.

**O**rtus refulget Lucifer ,  
 Prætque solem nuntius ;  
**C**adent tenebræ noctium :  
 Lux sancta nos illuminet.

Patri,

Patri , simulque Filio ,  
 Tibique Sancte Spiritus ,  
 Sicut fuit , sit jugiter  
 Sæculum per omne gloria. Amen.  
**V.** Benedicamus Patrem , & Filium , c.l.m  
 Sancto Spiritu :  
**R.** Laudemus , & superexalte mus eum  
 in sæcula.

## O R A T I O .

**O**Mnipotens sempiterne Deus , qui de-  
 disti famulis tuis in confessione ve-  
 ræ fidei æternæ Trinitatis gloriam agno-  
 scere , & in potentia majestatis adorare  
 Unitatem : quæsumus ; ut ejusdem fidei  
 firmitate ab omnibus semper muniamur  
 adversis. Per Dominum nostrum JESUM  
 Christum Filium tuum , qui tecum vivit ,  
 & regnat in unitate Spiritus Sancti De-  
 us , per omnia sæcula sæculorum. Amen.

*Hymnus de Spiritu Sancto.*

**V**Eni Sancte Spiritus ,  
 Et emitte cœlitùs ,  
 Lucis tuæ radium.  
**V**eni Pater pauperum ,  
 Veni dator munerum ,  
 Veni lumen cordium ,

Con-

Consolator optime,  
Dulcis hospes animæ,  
Dulce refrigerium.

In labore requies,  
In æstu temperies,  
In fletu solatium.

O lux beatissima !  
Reple cordis intima,  
Tuorum fidelium,

Sinè tuo Numine ,  
Nihil est in homine ,  
Nihil est innoxium.

Lava , quod est sordidum ;  
Riga , quod est aridum ;  
Sana , quod est saucium ;  
Fleste , quod est rigidum ;  
Fove , quod est frigidum ;  
Rege , quod est devium.

Da tuis fidelibus ,  
In te confidentibus ,  
Sacrum septenarium.

Da virtutis meritum ,  
Da salutis exitum ,  
Da perenne gaudium. Amen.

\*. Emitte Spiritum tuum , & creabun-  
tur :

\*. Et renovabis faciem terræ,

ORA-

## O R A T I O.

**D**EUS, qui corda fidelium Sancti Spiritus illustratione docuisti : da nobis in eodem Spiritu recta sapere, & de ejus semper consolatione gaudere. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit, & regnat in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia aetera saeculorum. Amen.

*Hymnus de S. Josepho.*

I.

**S**alve Pater Salvatoris,  
Salve Custos Redemptoris,  
Joseph ter amabilis.  
Salve Sponse Matris DEI,  
Salve Hospes Jesu mei,  
Joseph ter mirabilis.

2.

Dulces cunæ, dulces panni;  
Dulces dies, dulces anni,  
Dum nutriti Dominum.  
O quam fuit admiranda,  
Tua vita veneranda,  
Habens DEI Filium,

3. JE-

## 3.

JEsum oculis vidisti ;  
 Et in brachiis tulisti ,  
     O svavis felicitas !  
 Genis genas admovisti ;  
 Oscula dans accepisti ,  
     O felix svavitas !

## 4.

Modò Deum appellâsti ;  
 Modò Regem nominâsti ,  
     Inter mille gaudia.  
 Modò Patrem adorandum ;  
 Modò Natum adamandum ,  
     Inter mille basia.

## 5.

JEsum brachiis tenere ;  
 Atque totum possidere ,  
     O quantæ divitiæ !  
 Cum MARIA conversari ,  
 DEI Natum amplexari ,  
     O quantæ delitiæ !

## 6.

Quis est homo, qui amare ,  
 Atque JEsulum portare ,  
     Nollet suis brachiis ?

Nullus

Nullus est, qui non ambiret ;  
 Et qui cunas non adiret,  
 Pro tantis delitiis.

7.

O mi Joseph plus amande !  
 Et præ cunctis honorande ;  
 O flos pudicitiae !  
 Tibi tanta fors est data,  
 Quanta nulli est collata,  
 Ab Auctore gratiae.

8.

O felicem, & beatum !  
 Custodiri cui est datum ;  
 Tuo sub praesidio !  
 Et qui meruit habere  
 Te Patronum ; & gaudere  
 Tuò Patrociniò.

9.

Per MARIAE tuæ Matris  
 Preces, & Josephi Patris,  
 JESU tu nos adjuva.  
 Ut possimus te videre,  
 Et æternum possidere,  
 In cœlesti Patria. Amen.

¶. Valde honorandus, & amandus es  
 Beate Josephe :  
 ¶. Inter cuius brachia Dominus recubuit,

Q

Oratio

## O R E M U S.

**O**Mnipotens sempiterne DEUS , qui Beatum Josephum justum Filium David, Beatissimæ Virgini MARIAE Sponsum providisti , & Filio tuo JEsu Christo Nutritum elegisti : da quæsumus ; ut ejus precibus , & meritis tranquilla pace latemur , & ad perpetuæ viationis tuæ coniulationem perducamur. Per eundem Dominum nostrum JESUM Christum Filium tuum , qui tecum vivit , & regnat in unitate Spiritus Sancti Deus , per omnia sæcula sæculorum , Amen.

*Oratio pro felici motre  
impertranda.*

**O** Sancte Josephe ! qui in favissimo JEsu clientis tui , dulcissimæ Spouse tuæ MARIAE complexu ex hac vita emigrâsti : Succurre mihi ô Sancte Pater , cum JEsu , & MARIA , tunc potissimum , quando mors finem vitæ meæ imponet , illudque (quod unicè peto) solatium mihi impetra ; ut in iisdem sanctissimis JEsu , & MARIAE brachiis expirem . In manus vestras vivens , & moriens commendô

mendo spiritum meum, JESUS, MARIA, JOSEPH.

*Hymnus ad S. Franciscum  
Seraphicum.*

**S**Upernæ vocis jubilō, Sanctorūmque tripudiō

Seraphicis clamoribus, exultet polus laudibus.

Cœlorum portas pandite, Minorum decus canite :

Vexilla Regis gloriæ portat miles vitoria.

Supernæ sedis præmia Francisci tenet gloria.

Triumphum post mirificum, Chorum scandit Seraphicum.

Ad laudem Regis gloriæ, Franciscique memoriæ.

Nos finis post principium, convertat ad initium.

**V.** Gloriosus apparuisti in conspectu Domini :

**R.** Propterea decorem induit te Dominus.

## O R E M U S.

**D**EUS, qui sanctissimam animam Beatusissimi Patris Francisci Confessoris tui, fracto sacri corporis alabastrō, Seraphicis Spiritibus sociare dignatus es: da nobis famulis tuis; ut ejus meritis, & intercessione ad æterna regna polorum te adjuvante pervenire mereamur. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

*Hymnus ad S. Antonium  
de Padua.*

**J**ESU lux vera mentium,  
Nos illustra diluculō;  
Tot signis per Antonium  
Opacō fulgens sœculō.  
Hic mentis in naufragio,  
Signō salutis adfuit,  
Quibus sub lucis radio,  
Vitæ ducatum præbuit  
Hæreticum, lux fidei  
Signō purgat, dum jacitur  
Ab alto, vasis vitrei  
Fragilitas, nec frangitur.  
Irrisor lucis gratiæ,  
Signorum langvet clericus;

Post

Post votum surgens gloriæ,  
Sancti fit testis publicus.

Per hunc nos Pater luminum  
Signes, & lux de lumine  
Illustratoris hominum,

Cum spiritus munimine. Amen.

*Antiph.* O sydus Hispaniæ, gemma  
paupertatis Antoni; pars Schytiæ, for-  
ma puritatis, & lumen Italiae, Doctor  
veritatis, ut sol nites Paduæ signis cla-  
ritatis.

**X.** Ora pro uobis Sancte Antoni:

**R.** Ut digni efficiamur promissionibus  
Christi.

### O R E M U S.

**M**Itissime, ac clementissime JESU,  
qui B. Antonium Confessorem tuum  
perpetuis illustras miraculorum splendo-  
ribus: concede propitius; ut, quæ per  
eius merita fideliter petimus, per ejus in-  
tercessionem efficaciter consequamur. Qui  
vivis, & regnas in sæcula sæculorum. Am.

**Hymnus Sancti Bonaventuræ,  
ad S. Antonium Paduanum.**

**S**I quæris miracula, mors, error, cala-  
mitas, dæmon, lepra fugiunt, ægri  
Q 3 sur-

surgunt sani. Cedunt mare , vincula , membra ; r̄esque perditas petunt , & accipiunt juvenes , & cani. Pereunt pericula ; cessat & necessitas : narrent , si qui sentiunt , dicant Paduani.

Cedunt mare , &c.

Gloria Patri , & Filio , & Spiritui Sancto : sicut erat in principio , & nunc , & semper , & in sæcula sæculorum. Amen.

Cedunt mare , &c.

**V.** Prædicator egregie ora pro nobis Antoni Beatissime :

**R.** Ut tua intercessione percipiamus gaudia vitæ.

#### O R E M U S.

**S**ubveniant plebi tuæ , quæsumus Domine , præclari Confessoris tui Beati Antonii devota , & jugis deprecatione , quæ in præsenti nos tuâ gratiâ dignos efficiat , & in futuro gaudia donet æterna. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

#### Responsum

ad Sanctum Cajetanum.

**S**i quæris beneficia , quæ depluit Cajetanus ,  
Morbos , dolores , ulcera , miranda curat manus .

Aræ-

Aræque, flore, & oleo, procellæ, mors,  
& dæmones,

Fugantur, atque pristinæ menti redit  
insanus.

Scit ista gens mortalium, scit Neapolitanus.

Aræque, flore, & oleo, &c.

Gloria Patri, & Filio. & Spiritui  
Sancto : sicut erat in principio, & nunc, &  
semper, & in sæcula sæculorum. Amen.

Aræque, flore, & oleo, &c.

V. Ora pro nobis Beate Cajetane :

R. Ut digni efficiamur promissionibus  
Christi.

*O R E M U S.*

**D**EUS, qui Beatissimum Cajetanum in-  
signi miraculorum gloriâ decorâsti:  
tribue nobis ejus intercessione, corporis,  
& animæ sanitatem ; ut felici morte de-  
sinentes, gloriam consequamur æternam.  
Per Christum Dominum nostrum. Amen.

*Antiphona ad S. Cajetanum.*

Glorioso Christi Confessor Cajetane,  
pietatis oculô respice rogantes te, nosque  
ab onere peccatorum expedi, imminentia  
mala repelle, & salutari præsidiô corpo-  
rum nostrorum infirmitatibus, atque pec-  
catorum nostrorum gemitibus succurre.

# *Hymnus ad S. Franciscum Xaverium.*

Francisce mundi gloria,  
Orbisque lumen alterum;  
Qui nunc beatis Cœlitum  
Mensis quietus accubas.

Agnus secutus prævium,  
Ludis choreas Virginum,  
Intérque cœtus candidos,  
Comes pudicus ambulas.

O si terainus asperam  
Tecum pudoris semitam,  
Da, da Pater, quod poscimus,  
Nec sperne vota supplicum.

Sint pura nobis pectora,  
Fœdata nullis sordibus,  
Ut æmuli virtutibus,  
Pari fruamur gloriâ.

V. Ora pro nobis S. Francise Xaveri:

R. Ut digni efficiamur promissionibus  
Christi.

## *O R E M U S.*

O Beatissime, ac gloriosissime Sancte  
Fraucisce! gaudeo, exulto, & gra-  
tulor tibi omnem gloriam tuam, quâ post  
præclarissima virtutum merita jam ater-  
num

num frueris. In gratiarum actionem offero Deo tuo, & meo, non tam mea solum, ut quæ tenuia sunt, & imperfecta, quam oblata totius Ecclesiæ pia obsequia, aliisque omnia devotionis opera, quibus gratam meritorum, virtutumque tuarum commemorationem facimus. Si easdem, quas in te suspicio, colo, veneror, virtutum actiones imitari quam proximè possum! Supple defectum, & infirmitatem meam ô gloriosissime Sancte Francisci; & per tuam intercessionem, cui optimus Deus, qui glorificantes se glorificat, nil negare poterit; impetra mihi donum puritatis, & præterea virtutes N. ut in hac vita actionum tuarum sedulus æmulator, in altera vero æternæ gloriæ consors effici merear. Amen.

*Alia ad Eundem,  
Qua per ejus intercessionem liberari ab  
adversis petimus, & voluntati Di-  
vina nos conformamus.*

**S**Antissime Pater Francisci Xaveri, qui ex ore infantium, & lactentium perfidis laudem tuam: humillimè obsecro humanissimam effusam in omnes charitatem

tem tuam, per Sangvinem JEsu pretiosissimum, & per Immaculatam Conceptionem Sanctissimæ Dominæ nostræ MARIAE; ut mihi ab infinita Dei bonitate, si me in hac N. mea afflictione diutius permanere expedit, impetres; ut eam ex manu Dei suscepiam patientissime feram in honorem patientis Christi: si verò me summa Dei bonitas eâ liberum velit, Protector mi amantissime, & prodigiosissime excita potentiam tuam, & veni, & me ab hac afflictione N. mea liberes in manu forti, & in brachio tuo excelso; ut nullum humanum auxiliu, sed tuis apud JESUM, & Mariam intercessionibus mihi impetratam debeam ejusdem liberationem. Ecce mi S. Pater, ante te omne desiderium meum, & gemitus meus à te non est absconditus.

### *Hymnus ad S. Georgium.*

**G**eorgi Martyrum heros fortissime,  
Trifaucem cerberum cui datum vincere.

Dum stygem domitis calcare faucibus,  
Virtute nobilis tentavit animus.

In

In vota annue, ô gemma Martyrum!

Cùm bella tempore fatali criminum,  
Indicit tartarus, ut vincat scelere,

Ne cadat animus devictus crimine.

*Antiph.* Iste Sanctus pro lege Dei sui  
certavit usque ad mortem, & à verbis  
impiorum non timuit; fundatus enim erat  
super firmam petram.

X. Posuisti Domine super caput ejus:

R. Coronam de lapide pretioso.

*O R E M U S.*

**D**EUS, qui nos Beati Georgii Mart-  
ris tui meritis, & intercessione læ-  
tificas: concede propitius; ut, qui tua  
per eum beneficia poscimus, dona tuae  
gratiæ consequamur. Per Christum Do-  
minum nostrum. Amen.

*Hymnus ad S. Rochum  
Confessorem.*

**A**Ve Roche Sanctissime!

Nobili natus sanguine,  
Crucis signaris schemate,  
Sinistro tuo latere.

Tu, qui profectus peregre.  
Pestifera tactus lue,

Plùs

Plus quam arte Angelicâ,  
Ope sanâsti Cœlica.  
Numinis in præsentia,  
Nostra nunc serva corpora,  
Et crucis per subsidia,  
A peste mundum libera.

*Antiph.* O quam magnificum est nomen tuum Beate Roche, qui tuis intercessionibus multitudinem languentium nostri salvare, & omnibus salutare tuum gloriosum commemorantibus te propitium exhibere: veni, & sana nos à morbo Epidemiac, aërisque temperiem nobis concede.

℣. Ora pro nobis Sancte Roche:

℟. Ut mereamur præservari à peste Epidemiac.

### O R E M U S.

**D**EUS, qui per Beatum Rochum singulare nobis contra pestem potentis tuiæ dexteræ præsidium promisisti: præsta quæsumus; ut, qui ejus memoriam pia devotione recolimus, ejus quoque intercedentibus meritis, ab omni, tum animæ, tum corporis mortifera lue præservemur. Per Dominum nostrum JEsum Christum Filium tuum, qui tecum vivit, &

regnat in unitate Spiritus Sancti Deus,  
per omnia saecula saeculorum. Amen.

## *Hymnus ad S. Sebastianum, contra Pestem.*

**S**ebastiane, Martyrum,  
Et gemma Christi militum!  
Cui fuere spicula  
Pennæ ad beata gaudia:  
Oculō fideli respice,  
Contagionis tempore;  
Et sanitatis impetra  
Tibi dicatis tempora.

*Antiph.* O magne fidei Sanctissime  
Sebastiane, miles beatissime! cuius me-  
ritis, & precibus tota Patria Lombardiae  
à mortifera peste fuit liberata: interce-  
de pro nobis ad Dominum nostrum JE-  
sum Christum; ut nos tuo beato inter-  
ventu ab ipsa peste Epidemiac, ab impro-  
visa morte, & ab omni adversitate cor-  
poris, & animæ liberare, & defendere  
dignetur, donetque nobis tantum vitæ  
spatium, & tantam emendationem pecca-  
torum nostrorum; ut post hoc exilium  
sacris tuis precibus cum Christo collæte-  
mur.

- V.** Ora pro nobis Beate Martyr Sebastianæ :
- R.** Ut meramur pestem Epidemiac illæsi pertransire, & promissionem Christi obtinere.

*O R E M U S.*

**P**resta quæsumus omnipotens Deus ; ut intercedente Beato Sebastiano Martыre tuo, & à cunctis adversitatibus liberemur in corpore, & à pravis cogitationibus mundemur in mente.

**D**EUS, qui concedis Sancti Martyris tui Sebastiani memoriam solenniter celebrare : da nobis pariter in æterna beatitudine de ejusdem societate gaude-re. Per Christum Dominum nostrum. Am.

*Hymnus de S. Rosalia Virgine.**Contra Pestem.*

**A**Ve Rosa sinè spina ,  
Contra pestem medicina ,  
Rosalia Dux inclyta ,

Recens à mundo cognita.

Exemplum secuta Christi ,  
Mundum relinquens , sprevisti  
Quidquid Pater offerebat ,  
Quidquid Aula promittebat .

**Ad**

Ad montana procurristi,  
     Specum ferrô pertudisti;  
 Monitorem ut haberes  
     Propositi, quem videres.  
 Angeli te docuerunt,  
     Modum novum ostenderunt,  
 Quô Deo preces solveres,  
     Rosas fragrantes mitteres.  
 Antrum, Cœlum habuisti,  
     In quo Christum conspexisti;  
 Apostolis comitatum,  
     Angelis, Marte, stipatum.  
 Ab hoc coronâ donata,  
     Ad nuptias invitata,  
 Terras libens reliquisti,  
     Cœlum felix introisti.  
 Tua sacra post hæc ossa,  
     Nulla unquam texit fossa;  
 Sed rupes aquam jugiter  
     Stillans occlusit fortiter.  
 Post tot sæcla revelata,  
     In Patronam orbi data:  
 Contra pestem nobis fave,  
     Dum tibi sonamus: ave.  
 Laus, honor sit Majestati,  
     Uni Trinæ Deitati,

Rosa-

Rosaliam exaltanti,

Pestem per eam sedanti. Amen.

*Antiph.* Veni Sponsa Christi, accipe  
Coronam, quam tibi Dominus præpara-  
vit in æternum.

O R E M U S.

**D**EUS, qui corpus famulæ tuæ Beatae Rosaliæ, post tot sæcula intra mon-  
tes inventum contra sævientem pestilen-  
tiam sacrum amuletum fidelibus tuis esse  
voluisti: præsta supplicibus tuis; ut, qui  
sacras ejus reliquias colimus, & comme-  
moratione lætamur, ejus quoque inter-  
venientibus meritis, à præsentibus peri-  
culis, & à malo pestilentiaz liberemur.  
Per Dominum nostrum JESUM Christum  
Filium tuum, qui tecum vivit, & re-  
gnat in unitate Spiritus Sancti Deus, per  
omnia sæcula sæculorum. Amen.

*Hymnus ad S. Barbaram Vir-  
ginem. Et Martyrem.*

**A**Ve Martyr gloriofa,  
Barbaraque generofa,  
Paradyfi vernans rosa  
Castitatis lilium.

Ave

**Ave Virgo pulchra tota,**  
**Charitatis fonte lota,**  
**Dulcis, mitis, & devota,**  
**Vas virtutum omnium.**

**Ave criminis ignara,**  
**Sponsum audis voce clara :**  
**Veni pulchra, veni chara,**  
**Veni, coronaberis.**

**Ave Barbara serena ;**  
**Pulchra quasi luna plena,**  
**Singulari cantilenâ**  
**Sponsum Agnum sequeris.**

**Ave Barbara beata**  
**Quæ cum Sponso præparata,**  
**Nuptiarum adoptata,**  
**Introïsti gaudia.**

**Ave fulgens Margarita,**  
**In corona JESU sita ,**  
**Tam in morte, quam in vita**  
**Sis nobis propitia.**

**V. Ora pro nobis sinè mora Sancta Virgo Barbara :**

**R. Ut siimus digni ex hac hora semper Christi gratiâ.**

### O R E M U S.

**O**Stende nobis, quæsumus Domine,  
 tuæ pietatis misericordiam, quam  
 R in

in Sancta Virgine, & Martyre tua Barbara piè, & misericorditer ostendisti; ut ipsius precibus, ac meritis à subitanea, & improvisa morte liberemur; & ante diem, & horam exitus nostri, tui Sacratissimi Corporis, & Sangvinis, Sacræque Unctionis Sacramentis salubriter muniamur; eaque intercedente ab omnium hostium incursu protegamur, & ad te pia devotione, & lætitia perducamur. Qui vivis, & regnas cum Deo Patre in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

## ALIA:

**S**upplico tibi Sanctissima Virgo, & Martyr Christi Barbara; ut subvenias mihi famulo tuo in omnibus necessitatibus, & angustiis meis: ad te enim suspiro, & ad te oculos meos, & cor meum dirigo, te mihi in Advocatam eligo, tuæ protectioni animam, & corpus meum committo. Tu Sanctissima Virgo, esto mihi indigno famulo tuo, in tribulatione auxilium, in persecutione solatum, in omni perturbatione refugium. Circumda me tuæ defensionis muro inexpugnabili; contra omnes inimicos meos viibiles, & invisibi-

visibiles, & contra omnia pericula corporis, & animæ, esto mihi auxiliatrix specialissima apud misericordem Deum; ut non secundum mea peccata sinat me puniri, sed per tuam intercessionem merear tecum in Cœlestibus gaudere. Amen.

## *Hymnus de S. Lucia V. & M.*

*Contra oculorum dolorem.*

**O** Lucia! post tormenta,  
Et tot Erebi inventa,  
Contra tennellam Virginem.

Inter ignes, atque picem,  
Cœcam rides mundi vicem,  
Et stygis Tyrannidem.

Inter fœdos orci manes,  
Semper casta Virgo manes,  
Nec è loco mobilis:

Tandem guttur perforata,  
Sponsa Cœli præparata,  
Tuo Sponso redderis.

Per hæc tua sancta facta,  
Oculorum lux intacta,  
Ut sit nobis, impetra.

A dilecto tuo JESU,  
Et à meo dulci JESU,  
Qui est mundi gloria.

*Antiph.* Columna es immobilis Lucia  
Sponsa Christi : quia omnis plebs te ex-  
pe&stat , ut accipias coronam vitæ , alle-  
luja

*V.* Diffusa est gratia in labiis tuis :

*R.* Propterea benedixit te Deus in æter-  
num.

### O R E M U S.

**E**xaudi nos Deus salutaris noster , ut  
sicut de Beatæ Luciæ Virginis , &  
Martyris tuæ festivitate gaudemus ; ita  
ipsa auxiliante , piæ devotionis erudia-  
muri affectu , & à nocivo oculorum no-  
strorum præservemur malo. Qui vivis ,  
& regnas cum Deo Patre in unitate Spi-  
ritûs Sancti Deus , per omnia sæcula sæ-  
culorum. Amen.

### *Hymnus ad S. Apolloniam.*

*Virginem , & Martyrem.*

**V**irgo Dei egregia ,  
Pro nobis Apollonia ,  
Funde preces ad Dominum ,  
Ut tollat omne noxium.

**N**e pro reatu criminum  
Morbô vexemur dentium ;

Sed

Sed sanitate capit is

Gratulem ur, & corporis.

V. Specie tua, & pulchritudine tua :

R. Intende prosperè, procede, & regna.

*O R E M U S.*

DEUS, pro cuius honore Beata Apollonia Virgo, & Martyr amaram, & horribilem dentium excussionem sustinuit: præsta quæsumus; ut, qui ejus memoriā pia devotione frequentant, à tetro dentium dolore immunes custodias, & post hujus vitæ ærumnas ad beatæ Patriæ gaudia perducas. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

*Hymnus de Sancta Maria  
Magdalena.*

Pater superni luminis,

Cum Magdalenam respicis;

Flamas amoris excitas,

Gelique solvis pectoris.

Amore currit faucia,

Pedes beatos ungere,

Lavare fletu, tergere

Comis, & ore lambere.

Adstare non timet Cruci,

Sepulchro inhæret anxia,

Truces nec horret milites :  
 Pellit timorem charitas.  
 O vera, Christe, charitas !  
 Tu nostra purga crimina ;  
 Tu corda reple gratiâ ;  
 Tu redde Cœli præmia.  
 Summi Parentis unice,  
 Vultu piô nos respice,  
 Vocans ad arcem gloriae,  
 Cor Madgalenæ pœnitens.  
 Amissa drachma regio ,  
 Recondita est ærario ;  
 Et gemma, deterso lutô ,  
 Nitore vincit sidera.  
 JESU medela vulnerum ,  
 Spes una pœnitentium ,  
 Per Magdalenæ lacrymas ,  
 Peccata nostra diluas.  
 Dei Parens piissima ,  
 Nevae nepotes flebiles  
 De mille vitæ fluctibus  
 Salutis in portum vehas.  
 Uni DEO sit gloria ,  
 Pro multiformi gratia ,  
 Peccantium qui crimina  
 Remittit, & dat præmia. Amen.  
 ¶. Elegit eam Deus , & præelegit eam:  
 R. In

¶. In tabernaculo suo habitare fecit eam.

*O R A T I O.*

**O** Sanctissima Magdalena ! impetra mihi veræ contritionis , & perfectæ conversionis, incensique amoris gratiam; ut larga lacrymarum effusione ad pedes provolutus J E S U , veniam peccatorum meorum consequi merear. Impetra ô Sanctissima Magdalena ! ut tuô adjutus patrociniô verba illa audire merear : dimittuntur tibi peccata tua. Concede ô dulcissime J E s u ! per lacrymas , & merita Sanctissimæ Mariæ Magdalenæ , ut te cum illa in æternum laudare possim. Amen.

*Orationes devotæ ad S. Joannem Nepomucenum.*

**O**Mnipotens , & misericors Deus, concede propitius ; ut , qui in mérita Divi Joannis Nepomuceni confidimus , ejus potenti intercessione ex omni infamia , & confusione publica , tam temporali , quam æterna , hujus , & alterius vitæ , & maximè ex imminentि tali N. N. per piissimam misericordiam tuam eruamur.

mur. Per Dominum nostrum JESUM Christum Filium tuum, qui nos redemit per infamem mortem Crucis; & qui tecum gloriosus vivit, & regnat in unitate Spiritus Sancti, Consolatoris mæstorum, Deus, nunc, & in æternum. Amen.

### Oratio II.

**D**EUS cordis mei, sive cuius nutu, nec capillus quidem de capite nostro perit: te per gloria merita fidelis tui servi Joannis Nepomuceni (qui de ponte Pragensi in Moldavam dejici, & mergi maluit, quam Sacro-sanctum Confessionis Sigillum Regi revelare) suppliciter oro; ut in hoc tibi noto honoris mei manifesto periculo, mihi pro benignitate tua subvenire, meque ab omni confusione, ac infamia eruere digneris, ne gaudeant super me inimici mei: sic per preces Sancti Joannis Nepomuceni spero; sic in tua misericordia confido, Deus, qui es benedictus in saecula. Amen.

### Oratio III.

**S**ancte Joannes Martyr, ac Patronus Nepomuci in Bohemia oriunde, Templi Sancti Viti, in arce Pragensi Canonice,

ce, eo, quod ad instantiam Wenceslai IV. Regis (ulcisci de conjugé, sape illum de vita corrigenda monente, volentis) ante, & post torturam, Confessionem Augustæ propalare recusavisti, in flumen Moldavam ex ponte præcipitatus, à luminibus noctu supra flumen, ubi corpus tuum jacuit, apparentibus certissimis tuæ innocentiaæ, & sanctitatis testibus, ostensus, solenniter ab universo Clero, ac populo ad Cathedrale Templum deportatus fuisti; ubi usque hodie, qui tum sepulcrum dehonorant, vulgi infamiam effugere non solent. Tu ergo admirandam, inauditam, ac sempiternam memoriam secreti Exomologeseos post te reliquisti. Per hæc tua merita, & dona divinitùs tibi concessa precamur suppliciter, ac fiducialiter apud Omnipotentem Deum, eam nobis impetra gratiam, ut ira ejus conquiescat; peccatorum poenas, uti pestem, bellum, famem, aliásque tam corporis, quam animæ plagas clementer avertat, & ut nos ante obitum confiteri, pro peccatis satisfacere, omne periculum, & sæculi dedecus, hominum scandalum effugere, Deo placere, ad-

hærere, vitam laudabiliter concludere,  
 & ad vitam æternam pervenire possimus.  
 Per JESUM Christum Dominum, ac Sal-  
 vatorem nostrum. Amen.

## *Oratio devota ad gloriosum*

*S. Antonium de Padua.*

**S**ALUTO te Sancte Antoni de Padua, per  
 firmain fidem, quam semper habuisti  
 erga Deum Creatorem tuum, & meum,  
 cui fideliter servivisti; & erga Sanctissi-  
 mami Matrem ejus semper Virginem,  
 quam adeò amâsti; per dulcissimum pu-  
 erum istum JESUM, quem in tuo cubi-  
 culo, & libro præsentem habuisti; per  
 triginta tres annos, quibus ex amore no-  
 stri vixit, & in Cruce mortuus est; per  
 tres annos, quibus in deserto fuisti, de-  
 siderans videre Christum Dominum tuum,  
 qui tibi apparuit, & hæc svavissima ver-  
 ba dixit: Antoni, te conveniam, adsta-  
 bo lateri tuo, & signabo cor tuum pro-  
 pter habitum, quem induisti, & funem,  
 quò te cinxisti. Per multiplica miracu-  
 la, quæ Deus te mediante fecit, & usq;  
 modò facit; per magnam fiduciam, quam  
 in tua intercessione pono, prostratus in  
 ter-

terram humilitate cordis mei tibi suppli-  
co: impetrare digneris à Redemptore no-  
stro JESU Christo ; ut mihi per tuum Pa-  
trocinium concedat gratiam, quam desi-  
dero, si ea sit sanctissima ejus voluntas,  
cui planè me conformo propter animæ  
meæ salutem. Domine mi JESU Christe!  
per merita famuli tui Sancti Antonii, si-  
cūt resuscitasti mortuos, & Patrem ejus  
liberasti; ita mihi gratiam istam conce-  
de, si æqua sit, & sicut per merita, &  
intercessionem famuli tui Antonii, res  
oblivioni traditæ in memoriam redeunt;  
absentes præsentes fiunt; perditæ repe-  
riuntur; licita proposita acceptantur:  
ita te rogo Deus potentissime, mihi con-  
cedas eam, quam desidero gratiam, si  
conformis sit sanctissimæ tuæ voluntati.  
Amarissime JESU! cordis mei angustias  
conforta; ut vivens, & moriens possim  
semper te laudare, & tibi gratias agere.  
Amen.

### *Oratio ad Eundem, cùm quis adversis premitur.*

**A**pprehende arma, & scutum, & ex-  
urge in adjutorium mihi ô Antoni  
Bea-

Beatissime ! Effunde virtutis tuæ robur,  
 & conclude adversùs eos, qui persequun-  
 tur me ; impetra animæ meæ salutem à  
 Domino. Confundantur, & reverean-  
 tur, qui quærunt animam meam. Aver-  
 tantur retrorsum, & confundantur cogi-  
 tantes mihi mala ; fiant viæ illorum te-  
 nebræ, & lubricum te inclyto milite eos  
 persequente, ut redimar à calumniis ho-  
 minum, custodiam mandata Dei mei. In-  
 surrexerunt enim adversùs me fortis  
 absque misericordia, quoniam non pro-  
 posuerunt Deum ante conspectum suum.  
 Quare, nisi Dominus custodierit me ( te  
 ô benigne Pater adjuvante ) fortè vivum  
 deglutient me. Esto in auxilium mihi  
 conterens brachium eorum, ut decanta-  
 re valeam : Benedictus Deus, qui non  
 dedit me in captionem dentibus inimico-  
 rum meorum. Irruat super eos formi-  
 do, & pavor in magnitudine brachii tui,  
 & consilium illorum destruatur. Fac,  
 oro, mecum signum in bonum, ut vi-  
 deant, qui oderunt me, & confundan-  
 tur, quia tu dulcissime Antoni adjuvisti  
 me. Porrò dixerunt inimici : persequa-  
 mur, & comprehendainus : verum ta-

men

men cum fiducia accedo ad thronum misericordiae Dei tui , adversum me injusticias meas confiteor. Tu Antoni beatissime fac , ut dimittam impietatem peccati. Offer hanc meam orationem Deo , cui sic similiter dico : peccavi Domine , peccavi super numerum arenæ maris ; multiplicatae sunt iniquitates meæ. Nunc ergo flecto genua cordis mei , petens à Deo bonitatem. Peccavi Domine , peccavi , & iniquitates meas agnosco ; unde peto rogans te , remitte mihi Domine , & simul ne me perdas cum iniquitatibus meis. Hos quæso clamores Beatissime Antoni , quos ex intimo pronuncio pectore , Divinis admoveas auribus ; cùm non in sangvine hircorum , aut vitulorum me Christus redemerit ; sed proprio cruento , quem oro ! Sancte Antoni Protector meus , ad animæ meæ emendationem Deo Patri offeras. Erravi enim , sicut ovis , quæ perîit ; querat servum suum per preces tuas , cuius mandata non sum oblitus. Am.

*O R E M U S.*

**D**Elicta juventutis , & ignorantias ejus quæsumus , ne memineris Domine ; sed secundum magnam misericordiam tu-

am

am memor esto illius in gloria claritatis tuæ; aperiantur ei Cœli, collætentur Angeli. In regnum tuum Domine servum tuum suscipe, suscipiat eum Sanctus Michaël Archangelus Dei, qui militiæ cœlestis meruit Principatum; veniant illi obviam Sancti Angeli Dei, & perducant eum in civitatem cœlestem Jerusalem. Suscipiat eum Beatus Petrus Apostolus, cui à Deo claves Regni Cœleitis traditæ sunt. Adjuvet eum Sanctus Paulus Apostolus, qui dignus fuit esse vas electionis. Intercedat pro eo Sanctus Johannes, electus Dei Apostolus, cui revelata sunt secreta cœlestia. Orent pro eo Sancti Apostoli, quibus à Domino data est potestas ligandi, atque solvendi. Intercedant pro eo omnes Sancti, & Electi Dei, qui pro Christi nomine tormenta in hoc sæculo sustinuerunt; ut vinculis carnis exutus, pervenire mereatur ad gloriam Regni Cœleitis. Præstante Domino nostro JESU Christo, qui cum Patre, & Spiritu Sancto vivit, & regnat in sæcula sæculorum.

R. Amen.

*Quicunque Sanctum Antonium de Padua pro singu-  
lari Patrono habere, Deumque imprimis cole-  
re desiderat, quotidie præter commune illius Re-  
sponsorium tres genuflexiones coram Venerabili  
Altaris Sacramento, vel alibi locorum, illud  
sibi imaginando. sequenti forma peragat, spem,  
quæ firmam habeat se exaudiendum, nisi ali-  
quid contra Dei honorem, & animæ sua salu-  
tem petierit.*

## **GENUFLEXIO I.**

**O** Sanctissima, & superbenedicta Tri-  
nitas ! coram Sacramento veri Cor-  
poris, & Sangvinis JESU Christi me tibi  
prosterno, in unione illius ardenterissimæ  
charitatis, quâ S. Antonium ad æternam  
visionis tuæ beatitudinem elegisti, & an-  
te mundi constitutionem in eo tibi com-  
placuisti, perenniterque in illo jucunda-  
ris. Propter hoc ô magne Deus ! sit ti-  
bi benedictio, claritas, sapientia, gratia-  
rum aëlio, virtus, & fortitudo à me, &  
omnibus creaturis tuis in Cœlo, & in ter-  
ra, & in sæcula sæculorum. Amen.

*Pro omnibus donis, & gratiis Sancto Anto-  
nio in tempore, & æternitate collatis.  
Pater noster, & Ave Maria, stando.*

## GENUFLEXIO II.

**O** Sanctissima Trinitas ! prosterno me tibi in unione illius magnæ charitatis, quâ S. Antonius tuum cor cum Deitatis tuæ omnipotentia ad se traxit ; ut per hanc immensæ pietatis tuæ abundantiam, cœlestium donorum charismata exorare, & elargiri valeat, quibus tua gloria quotidie augetur, & Sanctus Antonius celebratur. Propter hoc ô magne Deus, &c. *ut supra.*

Pater noster, & Ave Maria. *stando.*

## GENUFLEXIO III.

**O** Sanctissima Trinitas ! hac flexione, in Cœlo, & in terra satisfacere desidero pro omnibus iis, quæ Sanctus Antonius, pro debita honoris tui, & fidei exigentia ex humana carnis fragilitate exequi non potuit, sedque in unione illius summæ devotionis, charitatis, & humilitatis, quibus hoc ipsum facturus esset, si adhuc in terris degeret, eamque cognitionem haberet, quâ in Cœlis modo resulget. Propter hoc ô magne Deus, &c. *ut supra.*

Pater noster, & Ave Maria, *stando.*

ORE.

*O R E M U S.*

**O** Mi amantissime, & dilectissime Pa-  
trone Sancte Antoni ! in unione dul-  
cissimi cordis Domini nostri IESU Christi,  
in quo omnia sui corporis vulnera passus  
est, & quod aperiri voluit, te deprecor;  
ut te mihi exhibeas, quantus coram Di-  
vino aspectu sis, meque spei meae partici-  
pem facias in hac tribulatione mea N. ut  
cum omnibus, qui te in necessitatibus su-  
is invocant, late corde exclamare vale-  
am : In Sancto Antonio, fidi servo, ve-  
re vivit, & regnat Deus, per omnia sa-  
cula saeculorum. Amen.

**O** Sanctissime Antoni ! in æternum lau-  
detur benedicta lingua tua, quæ  
semper Deum benedixit, & eum benedi-  
cere fecit ; per quam etiam miraculosè  
apparet, quanti apud Deum meriti fue-  
ris ; quoniam illa post triginta, & duos  
annos ab obitu tuo elapsos, tota rubicun-  
da, & recens inventa est, & Paduæ ho-  
dierna adhuc die videri potest.

*Quisquis igitur hoc aliquantulum temporis orationi  
impenderit, à Domino Deo ineffabiles gratias,  
& dona recipiet.*

*Oratio ad S. Judam Thadæum.*

**V.** Sancte Juda ora pro me :

**R.** Et omnibus, qui colunt te,

O R E M U S.

**G**loriose Christi Cognate, Apostole, & Martyr, Sancte Juda, qui vastissimis in regionibus fidem efferatis gentibus disseminasti ; virtutibus, ac miraculis clarus, innumerabiles filios IESU Christo peperisti : per illum, qui te sibi Apostolum adscivit, precor ; ut me miserum à consuetudine peccatorum meorum abstrahas, à cogitationibus immunidis me tuis meritis praeserves, & in rebus desperatis tuô mihi adsis patrociniô ; ac tandem ad invisibilem gloriam tuis precibus evehas, ubi Sancta Trinitas adoratur, in Patre, & Filio, & Spiritu Sancto. Amen.

*Devotio ad S. Dismam pœnitentem Latronem, magnum agoniabantium Patronum.*

**Antiph.** Beati mortui, qui in Domino moriuntur. Amodò jam dicit Spiritus, ut requiescant à laboribus suis. *Apoc. 14.*

O Dis-

O Disma Latro pœnitens,  
Lectissime Patrone !  
Sis mihi Tutor, moriens  
Dum luctor in agone.

## O R A T I O.

**S**ANCTE Disma, qui mirâ Dei providentia ex nefario Latrone in eximum pœnitentiæ speculum evanisti, & paucas intrâ horas æterna tibi gaudia comparasti : aspice de sublimi gloriæ tuæ uiuono in hanc vallem miseriae. Recordare ô Sancte ! mirabilis mentis humanæ fragilitatis, ad malum semper, quam ad bonum magis proclivis ; recordare, & pronobis ad Deum appella ; ut, sicut per gratiam suam efficacem ad pœnitentiam, & paradysi cœlestis gloriam te perduxit ; ita nos famulos suos, & famulas, eadem efficaci gratiâ ad dignos pœnitentiæ fructus impellat ; ut peccata tecum abolentes, piè tibi commoriamur, ac unâ tandem in Deo salutari nostro perenniter exultemus. Amen.

*Oratio ad S. Benedictum.*

*Antiph.* Similabo eum viro sapienti,  
qui ædificavit domum suam supra petram.  
*V.* Justum deduxit Dominus per vias  
rectas :

*R.* Et ostendit illi Regnum Dei.

*O R E M U S.*

**I**ntercessio nos, quæsumus Domine,  
Beati Benedicti Abbatis commendet;  
ut, quod nostris meritis non valemus,  
ejus patrociniō assequamur. Per Domi-  
num nostrum JESUM Christum Filium tu-  
um, qui tecum vivit, & regnat in uni-  
tate SpiritūS Sancti Deus, per omnia sæ-  
cula sæculorum. Amen.

*AD Sanctum Laurentium.*

*Antiph.* Beatus Laurentius, dum in  
craticula superpositus umeretur, ad im-  
piissimum tyrannum dixit : Assatum est  
jam ; versa, & manduca : nam faculta-  
tes Ecclesiæ, quas requiris, in cœlestes  
thesauros manus pauperum deportave-  
runt.

*V.* Levita Laurentius bonum opus ope-  
ratus est :

*R.* Qui

**R.** Qui per signum Crucis cœcos illuminavit.

## OREMUS.

**D**A nobis quæsumus, Omnipotens Deus, vitiorum nostrorum flamas extingvere, qui Beato Laurentio tribuisti tormentorum suorum incendia superare. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

**O**ratio Sancto Michaëli gravissima, sicut ipse cuidam Episcopo apparens asseruit.

**P**rinceps gloriosissime Michaël, Dux Cœlestium Exercituum, susceptor animarum, debellator malorum spirituum, Ecclesiæ Dei post Christum admirabilis, grandis Excellentiarum, & virtutis Rector: omnes nos clamantes ad te ab omni libera adversitate, & in omni cultu Dei facias proficere, tuō pretiosissimō officiō, & dignissima prece.

**V.** Ora pro nobis Sancte Michaël:

**R.** Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

## OREMUS.

**O**Mnipotens sempiterne Deus, qui saluti humanæ naturæ, ex summa clementia tua gloriosum Michaëlem Archangelum mirabiliter deputâsti: concede propitiis; ut ejus salutari subsidiô hic mereamur ab omnibus hostibus efficacissimè defendi, & in obitu nostro ab omni tentatione liberati, tuæ excelsæ Majestati beatificè per eum præsentari. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

*Devotio ad S. Sigismundum  
Regem, & Martyrem.*

*Antiph.* Sancte Sigismunde, tuas preces Christo funde pro me, & Christiano populo: te Sancte Rex corde, & voce oramus, serva nos à periculo.

*V.* Lætamini in Domino, & exultate justi:

*R.* Et gloriamenti omnes recti corde.

## OREMUS.

**D**EUS, qui Beatum Sigismundum Regem utroque diadematæ, temporali, & æterno, cum desiderata palma Martirii honorare dignatus es, & ejus reliquias ex profundo gurgite aquarum, ad cele-

celebrandum fidelibus revelasti : tribue quæsumus ; ut cuius gloria merita veneramur in Cœlis , ipsius semper patroci niis adjuvemur in terris. Per Dominum nostrum JESUM Christum Filium tuum , qui tecum vivit , & regnat in unitate Spiritus Sancti Deus , per omnia sæcula sæculorum. Amen.

### *Ad S. Dominicum.*

*Antiph.* O Doctor optime ! Ecclesiae Sanctæ lumen , Beate Dominice ; Divinæ Legis amator , deprecare pro nobis Filium Dei.

*V.* Amavit eum Dominus , & ornavit eum :

*R.* Stolam gloriæ induit eum.

### *O R E M U S.*

**D**EUS , qui Ecclesiam tuam Beati Dominici Confessoris tui illuminare dignatus es meritis , & doctrinis : concede ; ut ejus intercessione temporalibus non destituatur auxiliis , & spiritualibus semper proficiat incrementis. Per Dominum nostrum JESUM Christum , &c. Amen.

*Oratio de S. Joanne de Deo.**Ordinis Hospitalitatis Fundatore.*

**V.** Justum deduxit Dominus per vias rectas :

**R.** Et ostendit illi Regnum Dei.

*O R E M U S.*

**D**EUS, qui Beatum Joannem tuo amore succensum, inter flamas innoxium incedere fecisti, & per eum Ecclesiam tuam nova prole fœcundâsti: præsta ipsius suffragantibus meritis; ut igne charitatis tuæ vitia nostra curentur, & remedia nobis æterna proveniant. Per Dominum nostrum JEsum Christum Filium tuum, qui tecum vivit, & regnat in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

*Oratio ad S. Donatum.*

**V.** Ora pro nobis Sancte Martyr Donate:

**R.** Ut liberemur à tonitru, fulgere, & tempestate.

*O R A T I O.*

**M**isericors, æterne Deus, in cuius manu elementa sunt, & omnes creature, de quibus secundum arbitrium benepla-

neplaciti tui disponis: te supplices deprecamur; ut aëris potestatibus dissolutis per intercessionem S. Donati Martyris, tonitrua, fulgura, omnesque noxias tempestates à nobis clementer avertere digneris: cœlesti benedictione nos, domos nostras, agros, vineas, prata, & hortos contra diabolicas nequitias tuere: ut à tonitru, fulmine, grandine, turbine, ac omnibus temptationum periculis per intercessionem Sancti Donati Martyris liberati, in optata quiete, ac securitate vivere, ac Nomen Sanctum tuum laudare, & benedicere valeamus. Per IESUM Christum Dominum nostrum. Amen.

### *Pro tentatis, & tribulatis*

#### *ORATIO.*

**D**EUS, qui justificas impium, & non vis mortem peccatoris: Majestatem tuam suppliciter deprecamur; ut famulos tuos de tua misericordia confidentes, cœlesti protegas benignus auxiliô, & assidua protectione conserves; ut tibi jugiter famulentur, & nullis temptationibus à te separentur. Per Dominum nostrum IESUM Christum Filium tuum, qui tecum

S 5

vivit,

vivit, & regnat in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia saecula saeculorum. Am.

*Oratio ad S. Blasium Episcopum, & Martyrem, contra dolores gutturis.*

Blasius Servus Dei dicit: aut ascende,  
aut descende.

Clementissime Iesu, qui fidelibus tuis ad gutturis curandos morbos, famulum tuum Beatum Blasium Episcopum, & Martyrem, Auxiliatorem eximum providere dignatus es, eique supplicanti promisisti salutarem omnium ipsum invocantium petitionis effectum: respice propitius ad humilitatem nostram; & suffragantibus meritis ejus, qui pro te sanguinem fudit, omnia adversantia gutturi mala, ac pericula a nobis propitius averte. Qui cum Patre, & Spiritu Sancto vivis, & regnas in saecula saeculorum. Amen.

*Oratio ad S. Florianum M.*

Sancte miles, ac Martyr Christi Floriane, qui intercessorem fidelem apud Deum

Deum adversus depopulatrices flaminas omnibus te sincero corde, firma fide, ac peculiari fiducia invocantibus exhibes: per tuam in multis tormentis infractam constantiam, & ardentissimum in Christum amorem, qui etiam per undas (in quas ad vita spiritum intercludendum ob generosam fidei Christianæ confessionem præcipitatus es) sopiri non poterat; suppliciter te obsecro: extingve in me formitem pravarum concupiscentiarum, flamas iræ, vindictæ, & omnis inimicitia; ignem impurarum cogitationum, & libidinis æstum. Suscita verò in me ignem amoris Dei, & proximi, zelum virtutum omnigenarum, ac religionis in Deum; ardens desiderium cœlestium, æternorumque bonorum, quibus jam tu quietè in Deo frueris. Defende me clementer ab omnibus tempestatum, & flammarum periculis; præsertim ab inextingibili igne inferni, ut hic rite bonitate, ac misericordiâ Dei potitus, illum tecum aliquando laudem, ac glorificem in æternum. Amen.

Ora-

# Oratio ad Omnes Sanctos.

O Pulchra, & speciosa domus Domini ! ego dilexi decorem tuum, ad te suspiro ex hoc meo exilio ; ad te anhelat cor meum, dum deficit vita mea. Non postulo hanc vestram Societatem, & pulchritudinem ineffabilem, & incomparabilem per mea merita ; sed confido, quod eam obtinebo per Sangvinem IESU, si me vestris meritis, ô gloriosi Sancti juveritis. Peccavi ; & sicut ovis, quæ periit, erravi, fateor : neque tamen de bonitate mei optimi Pastoris diffido : ille me recipiet in suos humeros, & ad vos deducet ; ut in vestra societate exultet anima mea Igaudiō inexplicabili, quo vos jam fruimini. O Patriarchæ Sancti ! O Prophetæ luce Divina illuminati ! O Imperatores Domini gloriosi ! Valentissimi IESU Christi Martyres ; Sapientissimi Doctores ; Humillimi Confessores, Piissimæ Virgines ; Conjuges, Viduæ continentes, & omnes animæ, quæ Deo placuistis, adjuvate me, & subvenite, ut salvus perveniam ad portum, ad quem vos pervenistis. Et vos Angeli Dei, & Spiritus Cœle-

Cœlestes, qui fortissimi estis Domini Exercitus, defendite me in hoc passu contra omnes laqueos Sathanæ ; liberate me à periculis hujus procellosi maris , & à Pyratis , qui me persequuntur , defendite : ac demum vestris orationibus ad portum quietis me deducite , ut illic vobiscum tutus conquiescam. Amen.

*Antiph.* Angeli, Archangeli, Throni, Dominationes, Potestates, & Principatus ; Virtutes Cœlorum, Cherubim, atque Seraphim ; Patriarchæ, & Prophetæ, Sancti Legis Doctores, Apostoli, omnes Christi Martyres, Sancti Confessores, Virgines Domini, Anachoretæ, Sanctique omnes intercedite pro nobis.  
*V.* Lætamini in Domino, & exultate justi:  
*R.* Et gloriamini omnes recti corde.

O R E M U S.

**O**Mnipotens sempiterne Deus, qui nos omnium Sanctorum tuorum merita sub una tribuisti celebritate venerari: quæsumus; ut desideratam nobis tuæ propitiationis abundantiam multiplicatis intercessoribus largiaris. Per Dominum nostrum JESUM Christum Filium tuum, qui tecum vivit, & regnat in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. Am.

CUL.

CULTVS VENERABILIS  
SACRAMENTI.  
OFFICIUM SANCTISSIMI  
SACRAMENTI.

## AD MATUTINUM.

**P**Anem Cœli dedit nobis Dominus :  
Panem Angelorum manducat homo,  
& paratur ei mensa Domini.  
¶. Domine labia mea aperies :  
¶. Et os meum annuntiabit laudem tuam.  
¶. Deus in adjutorium meum intende :  
¶. Domine ad adjuvandum me festina.

Gloria Patri , & Filio , & Spiritui  
Sancto : sicut erat in principio , & nunc ,  
& semper , & in sæcula sæculorum . Amen .  
Alleluja *Vcl.* : Laus tibi Domine , Rex æ-  
ternæ Gloriæ .

## HYMNS.

**P**ange lingua gloriosi  
Corporis mysterium ,  
Sangvinisque pretiosi ,  
Quem in mundi pretium  
Fruetus ventris generosi ,  
Rex effudit gentium .

*Antiph.*

*Antiph.* O quām fūavis est Domine,  
Spiritū tuus, qui, ut dulcedinem tuam  
in filios demonstrares, pane fūavissimo,  
de Cœlo p̄fstitō esurientes reples bonis,  
fastidiosos divites dīmittens inanes.

*V.* Panem de Cœlo p̄fstitisti eis Domine:  
*R.* Omne delectamentum in se habentem.

*O R E M U S.*

**D**EUS, qui nobis sub Sacramento mi-  
rabili passionis tuæ memoriam reli-  
quisti: tribue quæsumus; ita nos Corpo-  
ris & Sangvinis tui sacra mysteria vene-  
rari, ut redemptionis tuæ fructum in no-  
bis jugiter sentiamus. Qui vivis, & re-  
gnas cum Deo Patre in unitate Spiritū  
Sancti Deus, per omnia sæcula sæculo-  
rum. Amen.

*AD PRIMAM.*

**P**Anem Cœli dedit nobis Dominus :  
Panem Angelorum manducat homo,  
& paratur ei mensa Domini.

*V.* Deus in adjutorium meum intende :  
*R.* Domine ad adjuvandum me festina.

Gloria Patri, &c. *ut suprà in Matutino.*

*HYMNVS.*

**N**Obis datus, nobis natus  
Ex intacta Virgine; Et

Et in mundo conversatus,  
Sparso verbi semine.  
Sui moras incolatus  
Miro clausit ordine.

*Antiph.* O quam suavis, &c. *cum ♀.*  
& Orat. *ut supra* in Mat.

### AD TERTIAM.

**P**Anem Cœli dedit nobis Dominus :  
Panem Angelorum manducat homo,  
& paratur ei mensa Domini.  
℣. Deus in adjutorium meum intende :  
℟. Domine ad adjuvandum me festina.  
Gloria Patri, &c. *ut supra*.

### H Y M N U S.

**I**N supremæ nocte Cœnæ  
Recumbens cum fratribus,  
Observata lege plenè  
Cibis in legalibus.

Cibum turbæ duodenæ  
Se dat suis manibus.

*Antiph.* O quam suavis, &c. *cum ♀.*  
& Orat. *ut supra*.

### AD SEXTAM.

**P**Anem Cœli dedit nobis Dominus :  
Panem Angelorum manducat homo,  
& paratur ei mensa Domini.

℣. De-

℣. Deus in adjutorium meum intende :  
 ℑ. Domine ad adjuvandum me festina.  
 Gloria Patri, &c. *ut supra.*

**HYMNVS.**

**V**Erbum caro, panem verum,  
 Verbō carnem efficit ;  
 Fitque Sangvis Christi merum,  
 Etsi sensus deficit,  
 Ad firmandum cor sincerum  
 Sola fides sufficit.

*Antiph.* O quam svavis, &c. *cum ℣.*  
 ♂ Orat. *ut supra.*

**AD NONAM.**

**P**Anem Cœli dedit nobis Dominus :  
 Panem Angelorum manducat homo,  
 & paratur ei mensa Domini.  
 ℣. Deus in adjutorium meum intende :  
 ℑ. Domine ad adjuvandum me festina.  
 Gloria Patri, &c. *ut supra.*

**HYMNVS.**

**P**anis Angelicus fit panis hominum,  
 Dat panis cœlicus figuris terminum.  
 O res mirabilis ! manducat Dominum.  
 Pauper servus, & humilis.

*Antiph.* O quam svavis, &c. *cum ℣.*  
 ♂ Orat. *ut supra.*

*AD VESPERAS.*

**P**Anem Cœli dedit nobis Dominus :  
Panem Angelorum manducat homo,  
& paratur ei mensa Domini.

\*. Deus in adjutorium meum intende :  
\*\*. Domine ad adjuvandum me festina.

Gloria Patri, &c. *ut supra.*

*HYMNVS.*

**T**antum ergo Sacramentum  
Veneremur cernui,  
Et antiquum documentum  
Novo cedat ritui ;  
Præstet fides supplementum,  
Sensuum defectui.

*Antiph.* O sacrum convivium, in quo  
Christus sumitur ! recolitur memoria pa-  
ssionis ejus ; mens impletur gratia ; & fu-  
turæ gloriæ nobis pignus datur.

\*. Panem de Cœlo, &c. *cum Orat. ut supra.*

*AD COMPLETORIUM.*

**P**Anem Cœli dedit nobis Dominus :  
Panem Angelorum manducat homo,  
& paratur ei mensa Domini.

\*. Converte nos Deus salutaris noster :  
\*\*. Et averte iram tuam à nobis.  
\*. Deus in adjutorium meum intende :

\*\*. Do-

¶. Domine ad adjuvandum me festina.  
Gloria Patri, &c. *ut supra.*

HYMNVS.

GEnitori, Genitóque  
Laus, & jubilatio,  
Salus, honor, virtus quoque;  
Sit & benedictio:  
Procedenti ab utroque,  
Compar sit laudatio.

*Antiph. O quam svavis, &c. cum ♀.*

¶ Orat *ut supra in Mat.*

COMMENDATIO.

Has horas Canonicas cum devotione,  
Dixi in memoriam tui JESU bone:  
Corporis Sanctissimi pia ratione,  
Fac, ut illô perfruar Cœli Regione.

PETITIO.

BENignissime JESU, à quo manant in  
nos omnia bona; à quo omnia à no-  
bis mala arcentur. Averte à me omnem  
vanitatem, mentis elationem, carnis li-  
bidinem, oris licentiam, contemptum  
inopum, avaritiæ ardorem; & quidquid  
demum Divinæ Majestati tuæ displicet,  
ut tibi Deo meo in veritate serviam, &  
in corde perfecto laudem, & glorificem  
in sæcula. Am. T 2 COM-

**COMMENDATIO SVI.**

**C**ommendo me tibi, ô bone JESU! intrà mellifluum cor tuum absconde me, nec permitte me in æternum separari à te: sis mihi in vita solatum, in morte viaticum, in æternitate præmium. Id rogo te, pro me, & pro omnibus amicis meis, per sanguinem, sudorem, & lacrymas tuas. Amen.

**PETITIO BENEDICTIONIS.**

**B**enedic mihi Domine JESU, cum Patre, & Sancto Spiritu, uberèmque largire gratiam amplectendi semper, & in omnibus, nunc, & in hora mortis tuam sanctissimam voluntatem. Amen.

**L I T A N I Æ  
D E V E N E R A B I L I  
S A C R A M E N T O.**

**K**yrie eleison, Christe eleison,  
Kyrie eleison.  
Christe audi nos, Christe exaudi nos.  
Pater de Cœlis Deus, Miserere nobis.  
Fili Redemptor mundi Deus, Miserere nobis.  
Spiritus Sancte Deus, Miserere nobis.  
Sancta

Sancta Trinitas unus Deus, Miserere nobis.

Panis vivus de Cœlo descendens,  
Deus absconditus, & Salvator,  
Frumentum Electorum,  
Vinum germinas Virgines,  
Panis pinguis, & delitiae Regum,  
Juge Sacrificium,  
Oblatio munda,  
Agnus absque macula,  
Mensa purissima,  
Angelorum esca,  
Manna absconditum,  
Memoria mirabilium Dei,  
Panis supersubstantialis,  
Verbum Caro factum,  
Habitans in nobis,  
Hostia sancta,  
Calix benedictionis,  
Mysterium fidei,  
Præcelfsum, & Venerabile Sacramen-  
tum,  
Sacrificium omnium sanctissimum,  
Verè propitiatorium pro vivis, & de-  
functis,  
Cœleste antidotum, quô à peccatis  
præservamur,

Miserere nobis.

Stupendum super omnia miraculum,  
 Sacratissimæ Dominicæ Passionis com-  
 memoratio,  
 Donum transcendens omnem plenitu-  
 dinem,  
 Memoriale præcipuum Divini amoris,  
 Divinæ affluentia largitatis,  
 Sacro-sanctum, & augustissimum my-  
 sterium,  
 Pharmachum immortalitatis,  
 Tremendum, ac vivificum Sacramen-  
 tum,  
 Panis omnipotentiâ Verbi caro factus,  
 Incruentum Sacrificium,  
 Cibus, & Conviva,  
 Dulcissimum convivium, cui assistunt  
     Angeli ministrantes,  
 Sacramentum pietatis,  
 Vinculum charitatis,  
 Offerens, & oblatio,  
 Spiritualis dulcedo in proprio fonte  
     degustata,  
 Refectio animarum sanctorum,  
 Viaticum in Domino morientium,  
 Pignus futuræ gloriæ,  
 Propitius esto,      Parce nobis Domine.  
 Propitius esto,      Exaudi nos Domine.  
                             Ab

Miserere nobis.

Ab indigna Corporis, & Sangvinis?  
tui iusceptione,

A concupiscentia carnis,

A superbia vitæ,

Ab omni peccandi occasione,

Per desiderium illud, quô hoc Pascha  
cum Discipulis manducare desi-  
derâsti,

Per summam humilitatem, quâ Disci-  
pulorum pedes lavisti,

Per ardentissimam charitatem, quâ  
hoc Divinum Sacramentum in-  
stituisti,

Per Sangvinem tuum pretiosum, quem  
nobis in Altari reliquisti,

Per quinque vulnera hujus tui Cor-  
poris Sacratissimi, quæ pro no-  
bis suscepisti,

Peccatores, Te rogamus audi nos.

Ut nobis fidem, reverentiam, & devoti-  
onem hujus admirabilis Sacramenti  
augere, & conservare digneris, Te  
rogamus audi nos.

Ut ad frequentem usum Eucharistiae per  
veram peccatorum confessionem nos  
perducere digneris, Te rogamus  
audi nos.

Ut nos ab omni hæresi, perfidia, ac cor-  
dis cœcitate liberare digneris, Te  
rogamus audi nos.

Ut in hora mortis nostræ hoc cœlesti via-  
tico nos confortare, & munire di-  
gneris, Te rogamus audi nos.

Ut ad cœnam vitæ æternæ nos perduce-  
re digneris, Te rogamus audi nos.

Fili Dei, Te rogamus audi nos.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi,  
Parce nobis Domine.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi,  
Exaudi nos Domine.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi,  
Miserere nobis.

Christe audi nos, Christe exaudi nos.

Kyrie eleison, Christe eleison,  
Kyrie eleison.

Pater noster, &c.

¶. Memoriam fecit mirabilem suorum  
misericors, & miserator Dominus:

¶. Escam dedit timentibus se.

¶. Panem de Cœlo præstitisti nobis Do-  
mine;

¶. Omne delectamentum in se habentem,

¶. Ex altari tuo Domine Christum sumi-  
mus:

¶. In

R In quem cor, & caro nostra exultat.  
x. Domine exaudi orationem meam:  
b. Et clamor meus ad te veniat.

O R E M U S.

D EUS, qui nobis sub Sacramento mirabili passionis tuæ memoriam reliquisti: tribue quæsumus; ita nos Corporis, & Sangvinis tui sacra mysteria venerari, ut redemptionis tuæ fructum in nobis jugiter sentiamus.

D Omine JESU Christe Fili Dei vivi, qui ex voluntate Patris, cooperante Spiritu Sancto, per mortem tuam mundum vivificasti: libera nos per tremendum Corporis, & Sangvinis tui Sacramentum ab omnibus iniquitatibus nostris, & universis malis; & fac nos tuis semper inhærere mandatis, nec à te unquam separari permittas.

D EUS, qui nos ad imaginem tuam Sacramentis renovas, & præceptis: perfice gressus nostros in semitis tuis, & charitatis tuæ donum, quod fecisti à nobis sperari, per tuam clementiam efficaciter facias apprehendi.

**D**EUS, qui diligentibus te bona invisi-  
bilia præparasti : infunde cordibus  
nostris tui amoris affectum ; ut te in  
omnibus, & super omnia diligentibus, pro-  
missiones tuas, quæ omne desiderium su-  
perant, consequamur. Per Dominum  
nostrum IEsum Christum Filium tuum,  
qui tecum vivit, & regnat in unitate  
Spiritus Sancti Deus, per omnia sæcula  
sæculorum. Amen.

## C V L T V S.

# SANCTÆ CRUCIS,

ET  
MEMORIA PASSIONIS DOMINI NOSTRI  
J E S U C H R I S T I.

Non te pertranseat particula bonæ diei,  
Absque memoria passi pro te Domini.

## PRÆORATIO DIVI BERNARDI.

**O**JESU, JESU mi ! ad Passionis tuae  
gloriosa insignia, in quibus salutem  
meam operatus es, totum me inclino.  
Tuae victoriosae Crucis regale vexillum in  
nomine tuo Christe adoro. Tuum spineum  
diadema, tuos rubentes sanguineos clavos;  
tuo sacro lateri immersam lanceam ; tua  
vul-

vulnera, tuum sanguinem, tuam mortem, tuam sepulturam Christe adoro, & glorifico. Confige Cruci tue manus meas, & pedes meos, ac totum passionis tue conforma servum tuum Domine.

## OFFICIVM SANCTÆ CRUCIS. *AD MATUTINUM.*

- ¶. Per signum Sanctæ Crucis de inimicis nostris :
- R. Libera nos Deus noster.
- ¶. Domine labia mea aperies :
- R. Et os meum annunciat laudem tuam.
- ¶. Deus in adjutorium meum intende :
- R. Domine ad adjuvandum me festina.

Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto: sicut erat in principio, & nunc, & semper, & in saecula saeculorum. Am.  
*Non dicitur Alleluja, neque Laus tibi Domine,*

### *HYMNS.*

**P**Atris sapientia, veritas Divina,  
Deus homo captus est horâ matutinâ:  
A notis Discipulis citè derelictus,  
A Judæis traditus, venditus, & afflictus.

*Antiph.*

*Antiph.* O Crux venerabilis! quæ salutem attulisti miseris : quibus te efferam præconiis, quoniam vitam nobis cœlitem præparâsti.

\*. Adoramus te Christe, & benedicimus tibi :

\*. Quia per Sanctam Crucem tuam redimisti mundum.

### O R E M U S.

**D**omine JESU Christe, Fili Dei vivi pone Passionem, Crucem, & mortem tuam inter judicium tuum, & animam meam nunc, & in hora mortis meæ, & mihi largiri digneris gratiam, & misericordiam ; vivis, & defunctis requiem, & veniam ; Ecclesiæ tuæ pacem, & concordiam ; & nobis peccatoribus vitam, & gloriam sempiternam. Qui vivis, & regnas cum Deo Patre in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

### AD PRIMAM.

\*. Per signum Sanctæ Crucis de inimicis nostris :

\*. Libera nos Deus noster.

\*. Deus in adjutorium meum intende :

\*. Domine ad adjuvandum me festina.

Gloria Patri, &c.

Hym-

## HYMNVS.

**H**Orâ primâ Dominum ducunt ad Pilatum,

Et à falsis testibus multum accusatum.  
Colaphis percutiunt manibus ligatum,  
Vultum Dei conspuunt lumen Cœli  
gratum.

*Antiph.* O Crucis victoria, & admirabile signum ! in cœlesti curia fac nos  
captare triumphum

*v.* Adoramus te Christe, &c. *ut supra.*

*Orat.* Domine JESU, &c. *ut supra.*

## AD TERTIAM.

*v.* Per signum Sanctæ Crucis de inimicis  
nostris :

*v.* Libera nos Deus noster.

*v.* Deus in adjutorium meum intende :

*v.* Domine ad adjuvandum me festina.

Gloria Patri, &c.

## HYMNVS.

**C**Rucifige, clamitant horâ tertiarum,  
Illusus induitur veste purpurarum,  
Caput ejus pungitur coronâ spinarum,  
Crucem portat humeris ad locum penitentiarum.

*Antiph.*

*Antiph.* Funestæ mortis damnatur supplicium, dum Christus in Cruce, nostra destruxit vincula criminum.

\*. Adoramus te Christe, &c. *ut supra.*

*Orat.* Domine JESU, &c. *ut supra.*

### AD SEXTAM.

\*. Per signum Sanctæ Crucis de inimicis nostris :

¶. Libera nos Deus noster.

¶. Deus in adjutorium meum intende :

¶. Domine ad adjuvandum me festina,

Gloria Patri, &c.

### HYMNS.

**H**Orâ sextâ JESUS est Crucis conclavatus,

Pendens cum latronibus est & depunatus :

Præ tormentis sitiens felle saturatus ;

Agnus crimen diluens, sic ludificatus.

*Antiph.* Per lignum servi facti sumus, & per Sanctam Crucem liberati sumus ; fructus arboris seduxit nos, Filius Dei redemit nos.

\*. Adoramus te Christe, &c. *ut supra.*

*Orat.* Domine JESU, &c. *ut supra.*

### AD

*AD NONAM.*

- \*. Per signum Sanctæ Crucis de inimicis nostris :
- \*. Libera nos Deus noster.
- \*. Deus in adjutorium meum intende :
- \*. Domine ad adjuvandum me festina.  
Gloria Patri, &c.

*HYMNS.*

**H**Orâ nonâ Dóminus JEsus expiravit,  
Eli clamans, Spiritum Patri com-  
mendavit,  
Latus ejus lanceâ miles perforavit,  
Terra tunc contremuit, & Sol ob-  
scuravit.

*Antiph.* O magnum pietatis opus !  
mors mortua tunc est in ligno , quando  
mortua vita fuit.

- \*. Adoremus te Christe, &c. *ut supra.*

*Orat.* Domine JEsu, &c. *ut supra.*

*AD VESPERAS.*

- \*. Per Signum Sanctæ Crucis de inimicis nostris :
- \*. Libera nos Deus noster.
- \*. Deus in adjutorium meum intende :
- \*. Domine ad adjuvandum me festina.  
Gloria Patri, &c.

*Hymn.*

## HYMNVS.

**D**E Cruce deponitur horâ vespertinâ;  
Fortitudo latuit in mente Divina :  
Talem mortem subiit vita medicina ;  
Heu ! Corona gloriæ jacuit supina.

*Antiph.* O Crux benedicta, quæ sola  
fuisti digna portare talentum mundi : dul-  
ce lignum, dulces clavos, dulcia ferens  
pondera : super omnia ligna Cedrorum tu  
sola excelsior, in qua mundi salus pepen-  
dit, in qua Christus triumphavit, & mors  
mortem superavit in æternum.

¶. Adoramus te Christe, &c. *ut supra.*

*Orat.* Domine JESU, &c. *ut supra.*

## AD COMPLETORIVM.

¶. Per signum Sanctæ Crucis de inimicis  
nostris :

¶. Libera nos Deus noster.

¶. Converte nos Deus salutaris noster :

¶. Et averte iram tuam à nobis.

¶. Deus in adjutorium meum intende :

¶. Domine ad adjuvandum me festina.

Gloria Patri, &c.

## HYMNVS.

**H**Orâ Completorii datur sepulturæ,  
Corpus Christi nobile, spes vitæ fu-  
turæ ; Con-

Conditur aromate : complentur Scripturæ,

Jugis sit memoria mortis suæ duræ.

*Antiph.* Salvator mundi salva nos, qui per Crucem, & Sangvinem tuum redemisti nos : auxiliare nobis, te deprecamur Deus noster.

**V.** Adoramus te Christe, & benedicimus tibi :

**R.** Quia per Sanctam Crucem tuam redemisti mundum.

#### O R E M U S.

**D**omine Iesu Christe Fili Dei vivi, pone passionem, Crucem, & mortem tuam inter judicium tuum, & animam meam, nunc, & in hora mortis meæ, & mihi largiri digneris gratiam, & misericordiam ; vivis, & defunctis requiem, & veniam ; Ecclesiæ tuæ pacem, & concordiam ; & nobis peccatoribus vitam, & gloriam sempiternam. Qui vivis, & regnas cum Deo Patre in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

#### COMMENDATIO.

**H**as horas Canonicas cum devotione, Tibi Christe recolo pia ratione ;

V

Ut

Ut qui pro me passus es amoris ardore,  
Sis mihi solatium mortis in agone.  
Amen.

LITANIE  
VITÆ, ET PASSIONIS  
JESU CHRISTI.

Humiliavit semetipsum Dominus noster JESus Christus, factus obediens usque ad mortem, mortem autem Crucis : propter quod & Deus exaltavit illum, & donavit illi nomen , quod est super omne nomen ; ut in nomine JESu omne genu fletatur , Cœlestium , terrestrium , & infernum ; & omnis lingua confiteatur : quia Dominus noster JESus Christus in gloria est Dei Patris.

**K**yrie eleison , Christe eleison ,  
Kyrie eleison .

Christe audi nos , Christe exaudi nos .  
Pater de Cœlis Deus , Miserere nobis .  
Fili Redemptor mundi Deus , Miserere nobis .

Spiritus Sancte Deus , Miserere nobis .  
Sancta Trinitas unus Deus , Miserere nobis . JE-

Jesu sapientia æterna,  
 Jesu de Virgine Maria nate,  
 Jesu à tua Genitrice adorate,  
 Jesu pannis involute,  
 Jesu in præsepio reclinate,  
 Jesu ubere Virgineo lactate,  
 Jesu à pastoribus in præsepio cognite,  
 Jesu per Circumcisionem sub lege  
     facte,  
 Jesu à Magis adorate,  
 Jesu in templo præsentate,  
 Jesu in Ægyptum delate,  
 Jesu ab Herode ad necem quæsite,  
 Jesu in Nazaret nutrita,  
 Jesu in Templo inventa,  
 Jesu Parentibus subdite,  
 Jesu à Joanne baptizata,  
 Jesu in deserto tentata,  
 Jesu cum hominibus conversata,  
 Jesu gratis odiō habite,  
 Jesu contumeliis vexata,  
 Jesu in monte coram Patribus trans-  
     figurate,  
 Jesu Rex imitis Hierusalem ingressa,  
 Jesu triginta argenteis vendite,  
 Jesu ad Discipulorum pedes inclinate,  
 Jesu in Oratione prostrate,

Jesu ab Angelo confortate,  
 Jesu in agonia sangvineo sudore per-  
 fuse,  
 Jesu osculô à Juda tradite,  
 Jesu à ministris ligate,  
 Jesu à Discipulis derelicte,  
 Jesu Annæ, & Caiphæ præsentate,  
 Jesu alapâ à ministro percusse,  
 Jesu à falsis testibus accusate,  
 Jesu reus mortis judicate,  
 Jesu in faciem conspute,  
 Jesu oculis velate,  
 Jesu colaphis cæse,  
 Jesu à Petro ter negate,  
 Jesu vincitus Pilato tradite,  
 Jesu ab Herode sprete, & illuse,  
 Jesu veste alba indute,  
 Jesu Barabbæ postposite,  
 Jesu flagellis cæse,  
 Jesu propter scelera nostra attrite,  
 Jesu quasi leprosus reputate,  
 Jesu veste purpurea indute,  
 Jesu spinis coronate,  
 Jesu arundine percusse,  
 Jesu à Judæis ad Crucem postulate,  
 Jesu morte turpissima condemnate,  
 Jesu voluntati Judæorum tradite,

Misere nobis.

Jesu

Jesu crucis pondere gravate,  
 Jesu tanquam ovis ad occisionem  
     duete,  
 Jesu vestibus exute,  
 Jesu clavis in cruce confixe,  
 Jesu propter iniquitates nostras vul-  
     nerate,  
 Jesu qui pro inimicis Patrem depre-  
     catus es,  
 Jesu cum inquis reputate,  
 Jesu in cruce blasphemate, & illuse,  
 Jesu à latrone convitiis laceſſite,  
 Jesu qui latroni pœnitenti Parady-  
     ſum promiſſisti,  
 Jesu qui Joannem Matri tuæ in Fili-  
     um commendâſti,  
 Jesu qui te à Patre derelictum atte-  
     ſtatus es,  
 Jesu felle, & acetô potate,  
 Jesu qui omnia de te scripta conſu-  
     mâſti,  
 Jesu Spiritum in manus Patris com-  
     mendans,  
 Jesu usque ad mortem Crucis obedi-  
     ens facte,  
 Jesu lancea transfixe,  
 Jesu propitiatio nobis facte,

Miserere nobis.

Jesu de Cruce deposito,  
 Jesu gloriosè à mortuis resurgens,  
 Jesu in Cœlum elevate,  
 Jesu noster apud Patrem Advocate,  
 Jesu qui Spiritum Paraclitum Disci-  
 pulis misisti,  
 Jesu Matrem super choros Angelo-  
 rum exaltans,  
 Jesu vivos, & mortuos judicature.

Propitius esto, Parce nobis Domine.  
 Propitius esto, Exaudi nos Domine.  
 Ab omni malo, Libera nos Domine.

Ab omni peccato,  
 Ab ira, & odio, & omni mala volun-  
 tate,

A peste, fame, & bello,  
 A cunctis mentis, & corporis peri-  
 culis,

A morte perpetua,  
 Per mundissimam Conceptionem tu-  
 am,

Per miraculosam Nativitatem tuam,  
 Per humilem Circumcisionem tuam,  
 Per beatissimum, & sanctum jejuni-  
 um tuum,

Per labores, & vigilias tuas,

Per

Miserere nobis.

Libera nos Domine.

Per dolorosam flagellationem , & co-  
ronationem tuam ,

Per sitim , lacrymas , & nuditatem  
tuam ,

Per pretiosam mortem , & crucem  
tuam ,

Per gloriosem resurrectionem , & a-  
scensionem tuam ,

Per missionem Spiritus Sancti Para-  
cliti ,

In die Judicii .

Peccatores , Te rogamus audi nos .

Ut nobis parcas ,

Ut nobis indulgeas ,

Ut ad veram pœnitentiam nos perdu-  
cere digneris ,

Ut gratiam Sancti Spiritus cordibus  
nostris clementer infundere di-  
gneris ,

Ut Ecclesiam tuam Sanctam defende-  
re , & propagare digneris ,

Ut societas in tuo sancto Nomine  
congregatas conservare , & am-  
plificare digneris ,

Ut nobis veram pacem , humilita-  
tem , & charitatem largiri di-  
gneris ,

Libera nos Domine ,

Te rogamus audi nos .

Ut

Ut in gratia, & sancto servitio tuo  
perseverantiam nobis dare di-  
gneris,

Ut nos ab immundis cogitationibus, &  
dæmonum temptationibus, & da-  
mnatione perpetua liberare di-  
gneris,

Ut nos Collegio Sanctorum tuorum  
sociare digneris,

Ut nos exaudire digneris.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi,  
Parce nobis Domine.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi,  
Exaudi nos Domine.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi,  
Miserere nobis.

Christe audi nos, Christe exaudi nos.  
Kyrie eleison, Christe eleison,  
Kyrie eleison.

Pater noster, &c.

**V.** Et ne nos inducas in temptationem,

**R.** Sed libera nos à malo.

**V.** Adoramus te Christe, & benedicimus  
tibi :

**R.** Quia per Sanctam Crucem tuam re-  
demisti mundum.

**V.** Reminiscere miserationum tuarum  
Domine : **R.** Et

Te rogamus audi nos.

- R. Et misericordiarum tuarum , quæ à  
sæculo sunt.  
V. Vide humilitatem meam , & laborem  
meum :  
R. Et dimitte universa delicta mea.  
V. Domine exaudi orationem meam :  
R. Et clamor meus ad te veniat.

## OREMUS.

**D**EUS , qui pro redemptione mundi na-  
sci voluisti , circumcidi , à Judæis  
reprobari , à Juda traditore osculō tradi,  
vinculis alligari , sicut Agnus innocens  
ad victimam duci , atque conspectibus  
Annæ , Caiphæ , Pilati , & Herodis inde-  
center offerri , à falsis testibus accusari,  
flagellis , & opprobriis vexari , sputis con-  
spui , spinis coronari , colaphis cædi , a-  
rundine percuti , facie velari , vestibus  
exui , Crucis clavis affigi , in Cruce leva-  
ri , inter latrones deputari , felle , & ace-  
tō potari , & lancea vulnerari . Tu Do-  
mine , per has sanctissimas poenas tuas ,  
quas ego indignus recolo ; & per hanc  
Sanctam Crucem , & mortem tuam , li-  
bera me à poenis inferni , & perducere  
dignare , quō perduxisti latronem tecum  
crucifixum . Qui cum Patre , & Spiritu

Sancto vivis, & regnas Deus in sæcula  
sæculorum. Amen.

*Alia Oratio de Passione  
DOMINI.*

D<sup>O</sup>mine JESU Christe, in cuius ditio-  
ne cuncta sunt posita, & non est,  
qui possit resistere voluntati tuæ; qui di-  
gnatus es nasci, mori, & resurgere: per  
mysterium Sacratissimi Corporis tui, &  
per quinque vulnera, & effusionem pre-  
ciosissimi Sangvinis tui miserere nobis, si-  
cut tu scis necessarium esse animabus, &  
corporibus nostris: libera nos à diaboli  
tentatione, & ab omnibus, quibus nos  
angustiatos esse cognoscis: nōsque in ser-  
vitio tuo usque in finem conserva, atque  
corrobora; & veram emendationem, spa-  
tiumque veræ pœnitentiæ nobis tribue, &  
remissionem omnium peccatorum; & fac  
nos fratres, sorores, amicos, & inimicos  
invicem diligere, & cum omnibus San-  
ctis tuis in regno tuo sine fine gaudere.  
Qui cum Deo Patre, & Spiritu Sancto  
vivis, & regnas Deus per omnia sæcula  
sæculorum. Amen.

*AD*

*Ad Vulnera Christi Oratio.*

**R**Ogo te Domine JESU, per illa salutifera vulnera tua, quæ passus es in Cruce pro salute nostra, è quibus emanavit ille pretiosus Sangvis, quo sumus redempti: vulnera hanc animam meam peccatricem, pro qua etiam mori dignatus es; vulnera eam igneō, & potentissimō telō tuæ nimiæ charitatis, confige cor meum jaculō amoris tui, ut dicat tibi anima mea: charitate tua vulnerata sum; ita, ut ex ipso vulnere amoris tui uberrimè fluant lacrymæ die, ac nocte. Percute Domine, percute, obsecro, hanc durissimam mentem meam, pia, & valida cuspide dilectionis tuæ, & altius ad intima penetra potenti virtute. Qui vivis, & regnas cum Deo Patre in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

*Meditationes piæ de Passione  
CHRISTI.*

**O** Domine JESU Christe! adoro te in Cruce pendentem, & coronam spinream in capite portantem: deprecor te; ut

ut me tua Crux liberet ab Angelo percutiente. Amen.

*Pater noster. Ave Maria.*

**O** Domine JESU Christe! adoro te in Cruce vulneratum, felle, & acetô potatum: deprecor te; ut vulnera tua sint remedium animæ meæ. Amen.

*Pater noster. Ave Maria.*

**O** Domine JESU Christe! propter illam amaritudinem, quam pró me sustinuisti in Cruce, maximè in illa hora, quando nobilissima anima tua egressa est de benedicto Corpore tuo: deprecor te; miserere animæ meæ in egressu suo, & perduc eam in vitam æternam. Amen.

*Pater noster. Ave Maria.*

**O** Domine JESU Christe! adoro te descendenter ad inferos, & liberantem captivos: deprecor te; ne permittas me illuc introire.

*Pater noster. Ave Maria.*

**O** Domine JESU Christe! adoro te in sepulcro positum, myrrâ, & aromatibus conditum: deprecor te; ut tua mors sit vita mea.

*Pater noster. Ave Maria.*

O Do-

**O** Domine JESU Christe ! adoro te resurgentem à mortuis, ascendentem ad Cœlos, & sedentem ad dexteram Patris : deprecor te ; ut illuc te sequi, & tibi præsentari merear. Amen.

*Pater noster. Ave Maria.*

**O** Domine JESU Christe, Pastor bone ! justos conserva, peccatores justifica, omnibus fidelibus miserere, & propitius esto mihi maximo peccatori Amen.

*Pater noster. Ave Maria.*

## *Oratio ad Crucifixum.*

**O** Misericordissime Domine JESU ! per lacrymas tuas , per agoniam , & sanguineum sudorem tuum , per mortem tuam rogo te , à subitanea , & improvisa morte libera me.

*ALIA.*

**O** Benignissime JESU ! per acerbissimam , & ignominiosissimam flagellationem , ac coronationem tuam humiliè te precor ; ne permittas me sine Sacramentis morte repentina ex hac vita migrare.

*ALIA*

## ALIA.

**O** Mi amantissime JESU, Dominus meus, & Deus meus ! per omnes dolores, & labores tuos, per pretiosum Sanguinem tuum, per sacro-sancta vulnera tua, per illas tuas, ô mi dulcissime JESU ! supremas in Cruce voces : Deus meus ! Deus meus ! ut quid dereliquisti me ? per validum clamorem hunc : Pater ! in manus tuas commendabo Spiritum meum ; ardenter te rogo : ne subito hinc tollas me. Manus tuæ ô mi Redemptor ! fecerunt me, & plasmaverunt me totum in circuitu, ne quæso, sic repente præcipites me. Da oro, spatiū pœnitentiaæ, da felicem in gratia tua obitum ; ut ego te tota mente diligam, laudem, & benedicam in æternum. Amen.

*De septem Verbis, quæ Christus in Cruce pendens dixit.*

## ORATIO.

**D**omine JESU Christe Fili Dei vivi, qui in Cruce pendens dixisti : Pater, dimitte illis ; non enim sciunt, quid faciunt : fac, ut ego amore tui parcam cunctis mihi malefacentibus. Et qui dixisti

xisti latroni : hodie mecum eris in Paradiso : fac me ita vivere ; ut in hora mortis meæ dicas mihi : hodie mecum eris in Paradyso. Et qui dixisti Matri tuæ : Muler, ecce filius tuus ; deinde Discipulo : ecce Mater tua : fac, ut Matri tuæ me societ amor tuus , & charitas vera. Et qui dixisti : Eli, Eli, Lamasaba&ethhani ! hoc est : Deus meus ! Deus meus ! ut quid dereliquisti me ? fac me dicere in omni tribulatione , & angustia mea : Pater mi ! Domine mi ! miserere mihi peccatori , & adjuva me Rex meus , & Deus meus, qui tuo proprio sangvine redemisti me. Et qui dixisti : sitio : fac, ut semper sitiam te fontem aquæ vivæ. Et qui dixisti : Pater ! in manus tuas commendo Spiritum meum : suscipe me redeuntem ad te. Qui dixisti : consummatum est : fac, ut audire merear illam dulcissimam vocem tuam, scilicet : veni amica mea, sponsa mea, veni ; ut mecum conscendas cum Angelis, & Sanctis meis in Regno meo epulari , jucundari , & commorari per infinita sæculorum sæcula, Amen.

Salu-

# *Salutationes ad omnia membra CHRISTI.*

**S**Alve tremendum cunctis potestatibus  
Caput Domini nostri JESU Christi Sal-  
vatoris nostri pro nobis spinis coronatum,  
& arundine percussum. Salve speciosissi-  
ma Salvatoris nostri JESU Christi facies,  
pro nobis sputis & alapis cæsa. Salvete  
benignissimi Domini JESU Christi Salva-  
toris nostri oculi, pro nobis lacrymis per-  
fusi. Salve mellifluum os, gutturque  
svavissimum Domini nostri JESU Christi  
pro nobis felle. & acetō potatum. Sal-  
vete aures nobillissimæ Domini JESU Chri-  
sti Salvatoris nostri, pro nobis contume-  
liis, & opprobriis affectæ. Salve collum  
humile JESU Christi pro nobis colaphiza-  
tum, dorsumque sanctissimum pro no-  
bis flagellatum. Salvete venerabiles Do-  
mini nostri JESU Christi manus, & bra-  
chia, pro nobis in Cruce extensa. Sal-  
ve peñus mitissimum Domini JESU Chri-  
sti Salvatoris nostri, pro nobis in passione  
conturbatum. Salve latus gloriosum Do-  
mini nostri Jesu Christi, pro nobis lanceâ  
militis perforatum. Salvete Domini JE-  
su

su Christi Salvatoris nostri sacra misericordiæ genua , pro nobis in orationibus flexa. Salvete Domini JEsu Christi Salvatoris nostri pedes adorandi , pro nobis clavis affixi. Salve totum Corpus Domini nostri JEsu Christi , pro nobis in Cruce suspensum , vulneratum , mortuum , & sepultum. Salve Sangvis pretiosissime , de Corpore Domini JEsu Christi Salvatoris nostri pro nobis effuse. Salve Sanctissima Domini nostri JEsu Christi Anima , in Cruce pro nobis in manus Patris commendata. In eadem commendatione tibi commendo hodie , & quotidie animam meam , vitam meam , cor , & corpus meum , omnes sensus , & actus meos ; omnes amicos , & benefactores , filios , & consangvineos meos ; animas Parentum , fratribus , sororum , & omnium amicorum , ac inimicorum meorum ; ut nos protegere , liberare , & defendere digneris ab omnibus insidiis inimicorum nostrorum visibilium , & invisibilium nunc , & in perpetuum. Amen.

# *Planctus Beatæ V. Mariæ.*

**S**TABAT Mater dolorosa,  
Juxta Crucem lacrymosa,  
Dum pendebat Filius.

Cujus animam gementem,  
Contristante, & dolentem  
Pertransivit gladius.

**O** quām tristis, & afflīcta  
Fuit illa benedicta  
Mater Unigeniti!

Quæ mōrebat, & dolebat,  
Et tremebat, cūm videbat  
Nati pœnas inclyti.

**Q**uis est homo, qui non fleret,  
Christi Matrem si videret  
In tanto supplicio?

**Q**uis non posset contristari,  
Piam Matrem contemplari,  
Dolentem cum Filio?

Pro peccatis suæ gentis,  
Vidit JESUM in tormentis,  
Et flagellis subditum.

Vidit suum dulcem Natum,  
Morientem desolatum,  
Dum emisit Spiritum.

Eja Mater fons amoris !

Me sentire vim doloris

Fac, ut tecum lugeam.

Fac, ut ardeat cor meum ,

In amando Christum Deum ,

Ut sibi complaceam.

Sancta Mater istud agas ,

Crucifixi fige plagas ,

Corde meo validè.

Tui Nati vulnerati ,

Tam dignati pro me pati ;

Pœnas mecum divide.

Fac me verè tecum flere ,

Crucifixo condolere ,

Donec ego vixero.

Juxta Crucem tecum stare ,

Te libenter sociare ,

In planctu desidero.

Virgo Virginum præclara ,

Mihi jam non sis amara ,

Fac me tecum plangere.

Fac, ut portem Christi mortem ,

Passionis fac consortem ;

Et plagas recolere.

Fac me plagis vulnerari ,

Cruce hac ineptiari ,

Ob amorem Filii.

Inflammatus, & accensus,  
Per te Virgo sim defensus,  
In die Judicii.

Fac me Cruce custodiri,  
Morte Christi præmuniri,  
Confoveri gratiâ.

Quando corpus morietur,  
Fac, ut animæ donetur  
Paradyfi gloria.

**V.** Tuam ipsius animam doloris gladius  
pertransivit :

**R.** Ut revelentur ex multis cordibus co-  
gitationes.

### O R E M U S.

**I**nterveniat pro nobis, quæsumus Do-  
mine JESU Christe, nunc, & in hora  
mortis nostræ apud tuam clementiam Be-  
ata Virgo MARIA Mater tua, cujus sa-  
cratissimam animam in hora tuæ passio-  
nis doloris gladius pertransivit. Per te  
JESU Christe Salvator mundi, qui cum  
Patre, & Spiritu Sancto vivis, & re-  
gnas in sæcula sæculorum. Amen.

O F F I C I V M  
**S A N C T I A N T O N I I**  
 D E P A D U A.

*A D M A T U T I N U M.*

Ecce Crucem Domini, fugite partes adversæ, vicit Leo de tribu Juda, radix David. Alleluja, Alleluja.

¶. Domine labia mea aperies :

¶. Et os meum annunciat laudem tuam.

¶. Deus in adjutorium meum intende :

¶. Domine ad adjuvandum me festina.

Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto: Sicut erat in principio, & nunc, & semper, & in saecula saeculorum. Amen. Alleluja. *Vel:* Laus tibi Domine, &c.

*H Y M N U S*

Dum quinque Christi Sangvinem  
 Fundunt minorum milites,  
 Fervente flamma nobile  
 Antonii cor æstuat.  
 Parem precatus Lauream,  
 Aurelia nos deserens,

Pugil futurus nobilis  
 Ad castra Fratrum transiit.  
 JEsu tibi sit gloria,  
 Qui magna magnus efficis;  
 Antonii nos, quæsumus,  
 Preces beatæ protegant. Amen.

*Antiph.* O proles Hispaniæ, pavor infidelium, nova lux Italiae, nobile depositum Urbis Paduanæ! fer Antoni gratiæ Christi patrocinium, ne pro lapsis veniæ tempus breve creditum defluat inane.

¶. Jubilent omnes Filii Dei :

¶. Et psallant laudes Sancti Antonii.

### O R E M U S.

**D**EUS, quem in Sanctis mirabilem Ecclesia prædicat, quorum suffragiis novit sibi adesse in tribulatione auxilium: da in nomine Sancti Antonii Confessoris tui congregatis, postulata assequi; ut in omni adversitate protecti, à Divina laude nunquam cessemus. Per Dominum nostrum IESUM Christum Filium tuum, qui tecum vivit, & regnat in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

AD

## AD PRIMAM.

**V.** Deus in adjutorium meum intende :

**R.** Domine ad adjuvandum me festina.

Gloria Patri, &c. *ut supra.*

## H Y M N U S.

**F**Lagellat, urget hærefes,

Et prædicando destruit,

Quod inferorum carceres,

Sponsæ Dei construxerunt,

JESU tibi sit gloria, &c. *ut supra.*

*Antiph.* Convertit miraculis peccatorum dentes, Sponsam Christi patulis riectibus mordentes.

**V.** Exurge Antoni Beatissime :

**R.** Ut liberemur ab hostibus corporis, & animæ.

## O R E M U S.

**D**EUS, qui Beatum Antonium Confessorem tuum verbi tui præconem eximum effecisti, & ejus salutari doctrinâ Ecclesiam lætificâsti : concede ; ut, quem in terris vitæ habuimus Doctorem, ipso intercedente, quod ore, & opere docuit, exercere valeamus. Per Dominum nostrum JESUM Christum Filium tuum, &c. Amen.

*AD TERTIAM.*

- ℣. Deus in adjutorium meum intende :  
 ℑ. Domine ad adjuvandum me festina.  
 Gloria Patri, &c.

*HYMNVS.*

**M**el lingva stillat optimum,  
 Rorem beati pneumatis;  
 Fontes fluunt ex cautibus,  
 Ex corde duro lacrymæ.

JESU tibi sit gloria, &c. *ut supra.*

*Antiph.* Totus in te sitiens Deus, ad  
 te vigilans de Luce : tu fons indeficiens,  
 tu lux illi rutilans, qui sitis in Cruce.  
 ℣. Per merita tua amantissime Antoni :  
 ℑ. Liquefcant corda nostra amore JESU  
 Christi.

*OREMUS.*

**T**Orrentem charitatis tuæ dulcissimæ  
 JESU super aridas mentes nostras be-  
 nignus effunde ; & interveniente Beato  
 Antonio ab omnibus peccatorum maculis  
 einunda. Qui vivis, & regnas cum Deo  
 Patre, &c Amen.

*AD SEXTAM.*

- ℣. Deus in adjutorium meum intende :  
 ℑ. Domine ad adjuvandum me festina.  
 Gloria Patri, &c. *Hym-*

## H Y M N U S.

**C**ordi Crucem Sanctissimam  
Inscripsferat medullitùs,  
Pondus Crucis sanctissimum  
Suis gerebat intimis.

JESU tibi sit gloria, &c. *ut supra.*

*Antiph.* Cæli, terræ, marium, benedicant Dominum cunctæ creaturæ, qui tot per Antonium signis, auget hominum vitæ spem futuræ.

**V.** Lætentur, & exultent gentes:

**R.** Quas Ecclesiæ Dei aggregavit Antonius.

## O R E M U S.

**D**EUS, in cuius conspectu cœli non sunt mundi: respice nos, quorum maculas pretioso Filii tui Sangvine tollere dignatus es; & præsta Beati Antonii intercessione sic per bona temporalia transfire, ut mens nostra tuō semper desideriō fulgeat. Per Dominum nostrum JESUM Christum Filium tuum, qui tecum vivit, &c. Amen.

## AD NONAM.

**V.** Deus in adjutorium meum intende:

**R.** Domine ad adjuvandum me festina.

Gloria Patri, &c.

## HYMNVS.

**L**Angvore tandem solvitur,  
Fontem beatum ingreditur,  
Absorpta mens cœlestibus.

Satura quiescit gaudiis.  
JESU, tibi sit gloria, &c. *ut supra.*

*Antiph.* Gaude felix Padua, quæ thesaurn possides, cuius in altario dignum fore loculum visio monstravit.

**V.** Exultat Sanctus in gloria :  
**R.** Lætatur in cubili suo.

## OREMUS.

**E**Cclesiam tuam Deus, Beati Antonii Confessoris tui deprecatio votiva lætificet; ut spiritualibus semper muniatur auxiliis, & gaudiis perfrui mereatur æternis. Per Dominum nostrum JESUM Christum Filium tuum, &c.

## AD VESPERAS.

**V.** Deus in adjutorium meum intende:  
**R.** Domine ad adjuvandum me festina.  
Gloria Patri, &c.

## HYMNVS.

**I**N pulveres sanctissimos  
Caro beata solvitur;

Sed

Sed lingva nec vestigium

Corruptionis induit.

JESU, tibi sit gloria, &c. *ut supra.*

*Antiph.* O lingva benedicta, quæ Dominum semper benedixisti, & alios benedicere fecisti: nunc manifestè appetet, quanti meriti apud Deum extitisti.

*V.* Sit in terra benedictus S. Antonius:

*R.* Quem in cœlis glorificat Altissimus.

### O R E M U S.

**E**Xaudi nos Deus Salutaris noster, ut intercedente Beato Antonio Confessore tuo Spiritum Sanctum, quem petentibus promisisti, meritis ejus hodie à te mereamur accipere. Per Dominum nostrum JESUM Christum, &c.

### AD COMPLETORIVM.

**\*.** Converte nos Deus salutaris noster:

**R.** Et averte iram tuam à nobis.

*V.* Deus in adjutorium meum intende:

**R.** Domine ad adjuvandum me estina.

Gloria Patri, &c.

### H Y M N V S

**E**RGO tuis clientibus

Viventibus, & mortals,

Felix

Felix precator obtine

Quidquid boni desiderant.

JEsu, tibi sit gloria. &c. *ut supra.*

*Antiph.* Quorum vitam moribus hic profitebatur, gloriosis Patribus jam congloriatur.

*V.* Ora pro nobis Beate Antoni:

*R.* Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

#### O R E M U S.

**M**Itissime, ac clementissime JEsu, qui Beatum Antonium Confessorem tuum perpetuis illustras miraculorum splendoribus: concede propitius; ut, quæ per ejus merita fideliter petimus, per ejus intercessionem efficaciter consequamur. Qui vivis, & regnas in sæcula sæculorum. Amen.

#### COMMENDATIO

**H**as horas Canonicas

Levoti Cordis ore

Deprompsas, licet aridas

Antoni, precor suscipe,

Et in agoni tremulos

Tua prece nos protege.

A M E N.

CVL-

C V L T V S  
SANCTI JOANNIS  
NEPOMUCENI.  
SEU  
OFFICIVM PARVUM  
DE  
SANCTO JOANNE  
NEPOMUCENO.  
Pœnitentium, & Famâ periclitantium  
P A T R O N O.

Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus  
DEUS Sabaoth, pleni sunt cœli, & ter-  
ra gloriâ tuâ.

*AD MATUTINUM.*

- ¶. Domine labia mea aperies :  
¶. Et os meum annunciat laudem tuam.  
¶. Deus in adjutorium meum intende:  
¶. Domine ad adjuvandum me festina.

Gloria Patri, & Filio, & Spiritui  
Sancto : Sicut erat in principio, & nunc,  
& semper, & in saecula saeculorum. Amen.  
Alleluja. *Vel:* Laus tibi Domine, &c.

*HYM-*

*H Y M N U S.*

**O**Rbi Nepomucum dedit;  
Te Joannes suum credit,  
Patronum Bohemia,  
In qua tuæ pietatis,  
Admirandæ Sanctitatis,  
Coruscant insignia.

¶. Domine ne elongaveris auxilium tuum à me:

¶. Ad defensionem meam conspice.

*O R E M U S.*

**D**EUS, cui soli debetur omnis honor,  
& gloria: per glorirosa merita San-  
cti Martyris tui Joannis Nepomuceni te  
suppliciter exoro; ut omnem infamiam,  
& confusionem publicam, undecunque  
mihi impendentem misericorditer aver-  
tere digneris; & concede, sic uti hono-  
re temporali, ut æternam confusionem  
evadere, & in cœlesti gloria merear col-  
locari. Per Dominum nostrum JESUM  
Christum Filium tuum, qui tecum vivit,  
& regnat in unitate Spiritus Sancti Deus,  
per omnia sæcula sæculorum. Amen.

*AD PRIMAM.*

¶. Deus in adjutorium meum intende:

¶. Domine ad adjuvandum me festina.

Gloria Patri, &c.

*Hym-*

## HYMNVS.

**D**EI Mater impetravit,  
Quod sis mirè procuravit,  
Natus thoro sterili.

Flammæ Cœli confirmârunt,  
Prolem Sanctam te monstrârunt,  
Signo non fallibili.

- \*. Ad te Domine levavi animam meam :
- \*. Deus meus in te confido, non erubescam.

Oratio *ut supra*.

## AD TERTIAM.

- \*. Deus in adjutorium meum intende :
- \*. Domine ad adjuvandum me festina.  
Gloria Patri, &c.

## HYMNVS.

**V**Ix Sacerdos ordinatus,  
Es ferventer mox zelatus,  
Solam Dei gloriam.

Divinum semen sparsisti,  
Populos post te traxisti,

Per miram facundiam.

- \*. Custodi animam meam, & erue me :
- \*. Non erubescam, quoniam speravi in te.

Oratio *ut supra*.

AD

*AD SEXTAM.*

- v.** Deus in adjutorium meum intende :  
**p.** Domine ad adjuvandum me festina.  
 Gloria Patri, &c.

*HYMNVS.*

**T**E Reginæ Confessorem  
 Virtus fecit, & Censorem  
 Mirandæ prudentiæ :  
 Ab hac Pater vocatus,  
 Unus suæ declaratus  
 Testis conscientiæ.

- v.** Suscipe me Domine secundum elo-  
 quium tuum :  
**p.** Et non confundas me ab expectatio-  
 ne mea.  
 Oratio *ut supra.*

*AD NONAM.*

- v.** Deus in adjutorium meum intende :  
**p.** Domine ad adjuvandum me festina.  
 Gloria Patri, &c. *ut supra.*

*HYMNVS.*

**S**ÆVUS piger Imperator,  
 Malorum clarus patrator  
 Pollicetur pessima ;

Nî quæ dixit Sacramento,  
Tu propales in momento  
Uxoris peccamina.

- ¶. In te Domine sparavi, non confundar in æternum :
- ¶. In justitia tua libera me.  
Oratio *ut supra*.

### *AD VESPERAS.*

- ¶. Deus in adjutorium meum intende :
- ¶. Domine ad adjuvandum me festina.  
Gloria Patri, &c.

### *HYMNS.*

**A**rcanum custodivisti,  
Ob quod latus subivisti  
Tormentorum genera.

Aquis tandem suffocatus,  
Effectus quod sis Beatus,  
Prodiderunt sydera.

- ¶. Intende animæ meæ, & libera eam :
- ¶. Propter inimicos meos eripe me.  
Oratio *ut supra*.

### *AD COMPLETORIUM.*

- ¶. Converte nos Deus Salutaris noster :
- ¶. Et averte iram tuam à nobis.
- ¶. Deus in adjutorium meum intende :

Y

¶. Do-

B. Domine ad adjuvandum me festina.  
Gloria Patri, &c.

## HYMNVS.

**T**umulatus nunc quiescis,  
Et in dies illucescis,  
Præclaris miraculis.  
Es certus famæ Patronus,  
Nos à malæ famæ pronus  
Defende periculis.

V. Domine non confundar:  
B. Quoniam invocavi te,  
Oratio *ut supra*.

## COMMENDATIO.

**S**uscipe quas dedimus Joannes Beate,  
Tibi preces supplices, noster Advocate;  
Fieri dum vivimus, ne finas infames,  
Et nostros post obitum Cœlis infer  
manes.

## CULTVS

SS. PATRONORVM  
REGNI HUNGARIÆ.

## HYMNVS.

A D S. S T E P H A N V M  
PRIMUM REGEM HUNGARIÆ.

**C**olumna sacræ fidei, decus Pannoniæ.  
Rex Sancte Stephane! Per

Per quem purpurei flores Ecclesiæ,  
Et virent animi fœcundo germine.

O Christiani populi dulces deliciæ,  
Sol Serenissime !

Qui fœdas Tenari fugasti tenebras,  
Et sanctas fidei dedisti faculas.

Tibi coronam cœlitus delatam, singuli  
Gaudemus subditi.

Felices animi, qui parent Stephano,  
Beatum obsequi est tali Domino.

Solatium Pannoniæ, devotè supplicum  
O patrocinium !

Per te confidimus æterna consequi,  
Quæ solum petimus, Trophæa solii.

Amen.

*Antiph.* Iste homo perfecit omnia,  
quæ locutus est ei Deus, & dixit ad eum : ingredere in requiem meam : quia te vidi justum coram me ex omnibus gentibus.

\*. Amavit eum Dominus, & ornavit eum:  
†. Stolam gloriæ induit eum.

*O R E M U S.*

**C**oncede quæsumus Ecclesiæ tuæ Omni-potens Deus ; ut Beatum Stephanum Confessorem tuum, quem regnante in terris propagatorem habuit, propugnatorem

habere mereatur gloriosum in cœlis. Per Dominum nostrum JESUM Christum Filium tuum, qui tecum vivit, & regnat in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

## H Y M N U S.

## A D S. L A D I S L A V M.

**L**Adislae, quæso, totis  
Te laudare possim votis,  
Quem sublimem terrâ, pias  
Inter preces cœli vias  
Meditatum veneror.

Qui in saxa convertisti  
Aurum sparsum, dum vidisti  
Illud jaci, ut salvaret  
Fugâ se, & inescaret  
Hostis tuos milites:  
Quem post fata Varadinum,  
In paratum terræ sinum,  
Currus liber à Vectore  
Vi miranda transtulit.

Da, ut in hac lacrymosa  
Valle, tua gloria  
Facta sequar, & post mortem  
Tecum paris vitæ sortem  
Æviternam consequar.

Antiph.

*Antiph.* Honestum fecit illum Dominus, & custodivit eum ab inimicis, & à seductoribus tutavit illum.

¶. Justum deduxit Dominus per vias rectas :

¶. Et ostendit illi regnum Dei.

O R E M U S.

**D**EUS, qui Beatum Regem Ladislauum Confessorem tuum diversis decorasti miraculis : praesta quæsumus ; ut ejus suffragantibus meritis ab omnibus semper muniamur adversis, & gaudiis perfruamur æternis. Per Dominum nostrum JESUM Christum, &c.

H Y M N V S.

A D S. E M E R I C V M.

DUCEM HUNGARIÆ.

**E**Merice, castum lilyum,  
Flos illibate Pannorum,  
Qui puritatis vinculô,  
Te liberâsti sæculô.  
Et intulisti floridis  
Justitiæ areolis :  
Me serva quoquè liberum  
Ab omni sorde scelerum ;

Ne mentem meam inquiet,  
Quodcunque Deo displicet.

*Antiph.* Ecce puer meus ele<sup>t</sup>us,  
quem eligi, posui super eum Spiritum  
meum.

*v.* Posuisti Domine super caput ejus:

*g.* Coronam de lapide pretioso.

### O R E M U S.

**D**EUS, qui Beatum Emericum juvenili flore nitentem in Sanctorum tuorum consortium sublimasti: præsta quæsumus; ut, quem tibi fecisti esse devotum, ejus apud te perpetuum sentiamus auxilium. Per Dominum nostrum JESUM Christum Filium tuum, qui tecum vivit, & regnat in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia saecula saeculorum. Amen.

### H Y M N U S.

#### A D S A D AL B E R T V M. EPISCOPUM, ET MARTYREM.

**S**Alve Pater pauperum,  
Margarita Principum,  
Speculum Antistitum,  
Gemina Christi pugilum.  
Qui pro Ducis gloria  
Trinâ iestus lanceâ,

Inter

Inter Sacrificium  
Reddidisti spiritum.

Da mihi labilium  
In extrema temporum  
Hora, dilectissimum  
Invenire Dominum.

*Antiph.* Lætitia sempiterna erit super  
capite eorum, gaudium, & exultationem  
obtinebunt.

¶. Judicabit Dominus populum suum,  
Alleluja.  
¶. Et in servis suis consolabitur DEUS,  
Alleluja.

### O R E M U S.

**O**Mnipotens sempiterne Deus, qui ho-  
dierna die Beatum Adalbertum Mar-  
tyrem tuum, atque Pontificem, meritô  
passionis Sanctis sociare dignatus es: tri-  
bue quæsumus; ut per ejus exempla ad  
patriam perveniamus æternam. Per Do-  
minum nostrum, &c.

### HYMNVS

A D S. J O A N N E M  
ELEEMOSYNARIUM.

**J**oannes bone pastor tuique gregis amor,  
Salve ô verum speculum cunctorum præ-  
sidium! Y 4 Tu

Tu tristi jubilus, tu clando baculus,  
 Tu cœco lumen, sitienti flumen,  
 Afflito gaudium, tu Pater pauperum.  
 O fac, ut sequamur tua vestigia!  
 Et ita consequamur æterna gaudia.

*Antiph.* Euge serve bone, & fidelis:  
 quia in pauca fuisti fidelis, supra multa  
 te constituam, dicit Dominus.

*V.* Justum deduxit Dominus per vias re-  
 etas:

*R.* Et ostendit illi regnum Dei.

### O R A T I O.

**E**Xaudi, quæsumus Domine, preces no-  
 stras, quas in Beati Joannes Eleemo-  
 synarii Confessoris tui, atque Pontificis  
 solennitate deferimus: & qui tibi dignè  
 meruit famulari, ejus intercedentibus  
 meritis ab omnibus nos obsolve peccatis.  
 Per Dominum nostrum, &c.

### H Y M N V S.

#### A D S. M A R T I N V M E P I S C O P U M.

**I**Ste Confessor Domini, colentes  
 Qem piè laudant populi per orbem,  
 Hac die latus mernit beatas  
 Scandere sedes.

\* Qui

Qui pius, prudens, humilis, pudicus,  
 Sobriam duxit sine labe vitam,  
 Donec humanos animavit auræ  
 Spiritus artus.

Cujus ob præstans meritum frequenter  
 Ægra, quæ passim jacuere membra,  
 Viribus morbi domitis, saluti  
 Restituuntur.

Noster hinc illi Chorus obsequenter  
 Concinit laudem, celebrisque palmas;  
 Ut piis ejus precibus juvemur  
 Omne per ævum.

Sit salus illi, decus, atque virtus,  
 Qui super Cœli folio coruscans,  
 Totius mundi seriem gubernat  
 Trinus, & unus. Amen.

*Antiph.* Martinus sinu Abrahæ latus  
 excipitur; Martinus hic pauper, & men-  
 dicus, cœlum dives ingreditur, hymnis  
 cœlestibus honoratur.

*V.* Sacerdos Dei Martine, Pastor egregie:  
*R.* Ora pro nobis Deum semper assidue.

O R A T I O.

DEUS, qui conspicis, quia ex nulla  
 nostra virtute subsistimus: concede  
 propitius; ut intercessione Beati Martini  
 Confessoris tui, atque Pontificis, contra  
 Y 5 omnia

omnia adversa muniamur. Per Dominum nostrum, &c.

## HYMNVS.

AD S. HENRICVM  
IMPERATOREM.

*Qui effecit, ut S. Stephanus Rex Ungariæ ferè cum toto suo Regno fidem Catholicam suscepérít.*

O Henrice decus Regum,  
Imperator maxime,  
Divinorum custos legum,  
Et zelator gloriæ.

Per amorem, quō sprevisti  
Sceptra, fasces, solium,  
Illibatus dum vixisti  
Velut castum lilium,

Cum dilecta Chunegunde  
Conjuge, & Virgine.

Fac nos quoquè tam jucundè,  
Tam beatè vivere.

Ut, qui modò separamur  
In hac vita misera,  
Ibi tecum uniamur  
Per æterna vincula. Amen.

*Antiph.*

*Antiph.* Iste est, qui ante Deum magnas virtutes operatus est, & de omni corde suo laudavit Dominum.

*V.* Iste est, qui contempsit vitam mundi:  
*R.* Et pervenit ad cœlestia regna.

## OREMUS.

**A**desto Domine supplicationibus nostris, quas in Beati Henrici Confessoris tui solennitate deferimus; ut, qui nostræ justitiæ fiduciam non habemus, ejus, qui tibi placuit, precibus adjuvemur. Per Dominum nostrum JESUM Christum Filium tuum, &c.

## Oratio

## AD QVEMVIS SANCTVM.

**A**ve vernans flos cœli, & gloriose Civis paradysi, Beate N. gratias ago Domine Deo pro omnibus bonis, quæ in te contulit: sed cum non sit decora laudatio per os peccatoris; Tu ô Patroni dilectissime! ora pro me miserrimo peccatore, & plenam mihi impetra memorum veniam delictorum, spiritum bonum, ac sanctam gratiam; ut Deo meo per-

perfectè reconciliatus semper ei placeam,  
nec unquam in ejus amore deficiam. Ade-  
sto mihi nunc, & in hora mortis meæ :  
tunc me benigne consolare, conforta, &  
protege. Effice tuis meritis, ut anima  
mea tota munda hinc exeat, & ad vitam  
æternam perveniat.

*Antiph.* Beatus vir, qui in lege Do-  
mini meditatur: voluntas ejus permanet  
die, ac nocte; & omnia, quæcunque fa-  
ciet, prosperabuntur.

*V.* Amavit eum Dominus, & jornavit  
eum:

*R.* Stolam gloriæ induit eum.

### ORATIO.

**A**desto Domine supplicationibus no-  
stris, quas in Beati N. (Apostoli,  
vel Martyris, vel Confessoris) tui solen-  
nitate deferimus; ut, qui nostræ justitiæ  
fiduciam non habemus, ejus, qui tibi  
placuit, precibus adjuvemur. Per Do-  
minum nostrum JESUM Christum Filium  
tuum, qui tecum vivit, & regnat in uni-  
tate Spiritus Sancti Deus, per omnia sæ-  
cula sæculorum. Amen.

OFFI-

OFFICIVM  
DE  
SANCTO, ET GLORIOSO APOSTOLO  
**JUDA THADDÆO,**  
In rebus desperatis  
P A T R O N O.

*AD MATUTINUM.*

- V. Sancte Juda ora pro me:  
R. Et omnibus, qui colunt te.  
V. Domine labia mea aperies:  
R. Et os meum annunciat laudem tuam.  
V. Deus in adjutorium meum intende:  
R. Domine ad adjuvandum me festina.

Gloria Patri, & Filio, & Spiritui  
Sancto: Sicut erat in principio, & nunc,  
& semper, & in sæcula sæculorum. Amen.  
Alleluja. *Vel:* Laus tibi Domine, &c.

*HYMNVS.*

SAnctum Judam collaudemus,  
Cœli Civis non postremus,

Qui jam nitet radiis:  
Particeps hic passionis,  
Donô retributionis  
Gaudet cum Apostolis.

Casti-

Castitate multum clarus  
 Christo Salvatori charus  
 Junctus erat sanguine:  
 Habuit Alphæum Patrem,  
 Ejus & fatetur matrem  
 Se Maria Cleophæ.

*Antiphona. Eccles. 15.*

Qui timet Deum, faciet bona, &  
 qui continens est justitiam, apprehendet  
 illam, & obviabit illi, quasi Mater ho-  
 norificata.

**V.** Sancte Juda Patrone fidissime:  
**R.** Placato nobis Deum clementiam.

*ORATIO.*

**D**EUS cuius bonitas, & clementia ex-  
 hauriri non potest: aures benigni-  
 tatis tuæ, famulorum, famulariumque  
 tuarum precibus inclina, & præsta; ut  
 omnes, qui te in Apostolo tuo Juda  
 Thaddæo devotè recolunt, meritis ejus  
 efficacibus petitionis suæ effectum conse-  
 quantur. Amen.

*AD PRIMAM.*

**V.** Sancte Juda ora pro me:  
**R.** Et omnibus, qui colunt te.

**V.** Deus

- ¶. Deus in adjutorium meum intende:  
¶. Domine ad adjuvandum me festina.  
Gloria Patri, &c.

H Y M N U S.

D Uodenos eligebat  
Christus, quibus decernebat  
Munus Apostolicum;  
Dei nutu, deputatus,  
Et Thaddæus est relatus  
In eorum numerum.  
Tradidit hic mox divinam  
Idololatris doctrinam,  
Docens eos impiger:  
Per miranda, quæ patravit,  
Quod docebat, confirmavit,  
Augens fidem fortiter.

*Antiphona. Eccles. 15.*

In medio Ecclesiæ apperiet os ejus,  
& adimplebit illum Spiritu sapientiæ, &  
intellectus, & stolâ gloriæ vestiet illum.

- ¶. Sancte Juda Patrone fidissime:  
¶. Placato nobis Deum clementiæ.

O R A T I O.

O JESU, verus Deus, & Homo! qui  
ex singulari gratia Sanctum Judaim  
Thaddæum Apostolorum tuorum Colle-  
gio

gio sociâsti : precibus ejus nobis peccato-  
ribus concede ; ut & nomina nostra in  
Album viventium referri , nôsque in  
altera vita Electis tuis sociari mereamur.  
Amen.

### *AD TERTIAM.*

- V. Sancte Juda ora pro me :  
 R. Et omnibus , qui colunt te .  
 V. Deus in adjutorium meum intende :  
 R. Domine ad adjuvandum me festina .  
 Gloria Patri , &c.

### *HYMNS.*

**Q**uisquis volet dubitare,  
 Regem quit interrogare,  
 Si placet , Abagarum :

A Juda qui baptizatur ,  
 Falsâ fide liberatur  
 Per ejus auxilium.

Nec in anima curabat  
 Regem tantum , quod rogabat ,  
 Juvit & in corpore :

Redditum dum sanitatem ,  
 Facta sibi potestate ,  
 Lepram jubet cedere.

*Antiphona.* Eccles. 15.

Cibavit illum pane vitæ, & intelle-  
ctus, & aquâ sapientiæ salutaris potavit  
illum Dominus Deus noster.

¶. Sancte Juda Patrone fidissime :

¶. Placato nobis Deum clementiæ.

*O R A T I O.*

**O**Mnipotens sempiterne DEUS, qui  
Sanctum Judam Thaddæum singula-  
ri pravas cogitationes repellendi præro-  
gativâ decorâsti : præsta ; ut omnes, qui  
Sanctum hunc Apostolum devotè vene-  
rantur, ejus intercessione à cunctis men-  
tis, & corporis adversitatibus eruantur.  
Amen.

*AD SEXTAM.*

¶. Sancte Juda ora pro me :

¶. Et omnibus, qui colunt te.

¶. Deus in adjutorium meum intende :

¶. Domine ad adjuvandum me festina.

Gloria Patri, &c.

*H Y M N U S.*

**L**ongius tu perrexi,   
Prædicans & invasi  
Regiones Persiæ :

Z

Hic

Hic idola confundebas,  
 Fidem felix invehebas,  
     Et Mesopotamiæ.  
 Unde turba Sacerdotum  
 Conabatur, ut te totum  
     Quôvis modô perderet;  
 Cùm te Juda prædicante,  
 Non idolum sicut ante,  
     Verba promptè redderet.

*Antiphona. Eccles. 39.*

In medio Magnatorum ministrabit,  
 & in conspectu Præsidis apparebit. In  
 terram alienigenarum gentium pertransi-  
 et. Bona enim, & mala in hominibus  
 tentabit.

**¶.** Sancte Juda Patrone fidissime:  
**R.** Placato nobis Deum clementiæ.

*O R A T I O.*

**A**Mabilissime JESU, qui es Via, Veri-  
 tas, & Vita; pro cuius honore Sanctus Judas Thaddæus magnas itinerum  
 difficultates subiit: humillimè tibi suppli-  
 camus; ut præclara hujus Sancti Apostoli  
 merita respiciens vitæ nostræ rationes  
 digneris ita disponere, ut à tramite Pa-  
 triæ cœlestis non deviemus. Amen.

*AD NONAM.*

- V. Sancte Juda ora pro me:  
 Rx. Et omnibus, qui colunt te.  
 V. Deus in adjutorium meum intende:  
 Rx. Domine ad adjuvandum me festina.  
 Gloria Patri, &c.

*HYMNVS.*

**T**E volentes superare,  
 Satagebant applicare  
 Fraudes diabolicas:  
 Quibus tamen non cessisti,  
 Palam cunctis ostendisti  
 Dæmonum præstigias.  
 Jurgia tu contemnendo,  
 Non cessabas à docendo,  
 Ardens zeli flammine:  
 Operam nec perdidisti,  
 Christo multos peperisti  
 Verbi Dei semine.

*Antiphona. Eccles. 39.*

Ipse palam faciet disciplinam Doctri-  
 næ suæ, & in lege Testamenti Domini  
 gloriabitur.

- V. Sancte Juda Patronæ fidissime:  
 Rx. Placato nobis Deum clementiæ.

## ORATIO.

**D**EUS, qui Sancto Judæ Thaddæo absolutam dæmones compescendi, magicásque præstigias eludendi, potestatem tribuisti: per fervidam te zelosi hujus Apostoli charitatem oramus; ut nos contra beneficia, omnésque hominum maleficorum insidias clementissimè defendere digneris; quatenus salutifero Nomi tuo hic, & in æternum laudes referre valeamus. Amen.

## AD VESPERAS.

℣. Sancte Juda ora pro me:

℟. Et omnibus, qui colunt te.

℣. Deus in adjutorium meum intende:

℟. Domine ad adjuvandum me festina,

Gloria Patri, &c.

## HYMNVS.

**O**Ptimè, quam conscripsisti,

Multum sanè profuisti

Tuam per Epistolam:

In qua studes nos docere,

Qui possimus exhibere

Vitam Deo placitam.

Quo-

Quoquid tu pergis terrarum,  
Datur tibi nomen clarum  
Præconis eximii :  
Numinis te delegatum  
Vindicemque veritatum  
Venerantur Ethnici.

*Antiphona. Eccles. 39.*

Ipse tanquam iombres mittet eloquia  
sapientiæ suæ, & in oratione confitebitur  
Domino.

**V.** Sancte Juda Patrone fidissime :  
**R.** Placato nobis Deum clementiæ.

*O R A T I O.*

**C**lementissie Deus, qui S. Apostolum  
Judam Thaddæum copiosâ S. Spiritu  
gratiâ Evangelicam cunctis gentibus  
veritatem promulgandi locupletâsti : con-  
cede nobis fidelibus tuis ; ut ea, quæ in  
Epistola sua nobis observanda tradidit, ad  
majorem Nominis tui gloriam, animarum-  
que nostrarum salutem, promptâ obe-  
dientiâ exequamur. Amen.

*AD COMPLETORIVM.*

**V.** Sancte Juda ora pro me :  
**R.** Et omnibus, qui colunt te.  
**V.** Converte nos Deus salutaris noster :  
**R.** Et averte iram tuam à nobis.

Z 3

**V.** De-

¶. Deus in adjutorium meum intende:  
 ¶. Domine ad adjuvandum me festina,  
 Gloria Patri, &c.

## H Y M N U S.

**D**EINDE Deus tuorum  
 Pondus auferens laborum,  
 Larga dedit præmia :  
 Utque posses triumphare,  
 Te volebat exornare  
 Martyrum laureolâ.  
 Quidam, quibus instruendo  
 Displicebas, persequendo  
 Te mactabant fustibus :  
 Unde vitam profudisti ;  
 Sed iam polum subiisti  
 Gaudens cum cœlitibus.

## Antiphona. Jacobi I.

Beatus vir, qui suffert temptationem :  
 quoniam cùm probatus fuerit, accipiet  
 coronam vitæ, quam repromisit Deus di-  
 ligentibus se.

¶. Sancte Juda Patrone fidissime :  
 ¶. Placato nobis Deum clementiæ.

Ora-

## O R A T I O.

**D**olorosissime JESU, qui Sancto Apostolo Judæ Thaddæo consanguineo tuo acerbam pro Evangelii tui confessione mortem subeundi vires contulisti: quæsumus, corda quoquè nostra gratiâ tuâ confirma; ut omnes hac in vita immisas à te nobis adversitates æquò animò perferre, ac fidem orthodoxam, quæ sola salutem tribuit, in vita, & morte constanter asserere valeamus. Amen.

## CONGLVSIO.

**P**atrone mi lectissime  
Juda, preces clientis,  
Non sperne: tibi placeat  
Devotio, quam promo.  
Defende corpus, animam,  
Ne titubent in bono;  
Ne cogitem, fac, obsecro,  
Quod inquinare potest;  
Sed maximè patrocinans  
Adesto morienti,  
Tecum fruar ut nitidi  
Deliciis Olympi. Amen.

LITANIÆ  
DE SANCTO APOSTOLO  
**JUDA THADDÆO,**

**K**yrie eleison, Christe eleison,  
Kyrie eleison.  
Christe audi nos, Christe exaudi nos.  
Pater de Cœlis Deus, Miserere nobis.  
Fili Redemptor mundi Deus, Miserere  
nobis.

Spiritus Sancte Deus, Miserere nobis.  
Santa Trinitas unus Deus, Miserere  
nobis.

**S.** Juda Thaddæe, JEsu, & Mariæ con-  
sanguinee, Ora pro nobis.

**S.** Thaddæe, qui Sanctissimas per-  
sonas JEsum, & Mariam oculis  
corporeis intueri, eorumque  
svavi colloquiō dignatus es,

**S.** Thaddæe, qui à Christo ad dignita-  
tem Apostolatūs elevatus es,

**S.** Thaddæe, qui cum Christo in ter-  
ris ambulans fidelis miraculo-  
rum ejus testis extitisti,

**S.** Thaddæe, qui Christo dilectissimo  
Magistro tuo summâ verecundiâ  
pedes lavandos porrexiisti,

**S.** Thad-

Ora pro nobis.

- S. Thaddæe, qui in ultima cœna san-  
ctissimam Eucharistiam è mani-  
bus dilectissimi Magistri tui ma-  
ximâ reverentiâ accepisti,
- S. Thaddæe, qui mortem Christi a-  
marè deplorans post resurrectionem summô cum gaudiô cœlos  
conscendere vidisti,
- S. Thaddæe, qui in Pentecoste cum  
aliis Apostolis Discipulisque Chri-  
sti Spiritu Sancto repletus es,
- S. Thaddæe, qui Christo in cœlum  
ascendente, in Persidem ad bar-  
baras nationes Evangelio imbun-  
endas te contulisti,
- S. Thaddæe, qui doctrinâ tuâ innu-  
meros infideles ad veram Reli-  
gionem perduxisti,
- S. Thaddæe, qui Spiritu Sancti vir-  
tute maxima prodigia patrâsti,
- S. Thaddæe, qui Regis Abagari ani-  
mam infidelitate, corpus lepræ  
contagione mundâsti,
- S. Thaddæe, qui Divina virtute dæ-  
mones idolorum elingves faciens  
magorum præstigias confudisti,

Ora pro nobis.

S. Thaddæe, qui Baradach Belliduci pacem cum hostibus prospere componendam vaticinatus es,

S. Thaddæe, qui serpentibus venenō homines inficiendi potestatem ademisti,

S. Thaddæe, qui spretis impiorum minis veræ fidei dogmata impavidè tradidisti,

S. Thaddæe, qui tandem pro Christi Nominе fustibus maestatus, sanctum vitæ cursum consummasti, Ora pro nobis.

S. Thaddæe, nos clientes tui, Te rogamus audi nos.

Ut precibus tuis Romano Pontifici, Episcopis, cunctisque Rectoribus Ecclesiasticis, veram Catholicaм fidem, ejusque constantiam obtinere digneris,

Ut Romano Imperatori, omnibusque Principibus Christianis pacem, concordiam, & vires hostes suos debellandi impetrare digneris,

Ut Deus meritis tuis hæreticos, ac ethnicos ad veram fidem convertere dignetur,

Ora pro nobis.

Te rogamus audi nos.

Ut

Ut fidem, spem, & charitatem in nobis augere digneris,  
 Ut pravas cogitationes, omnésque dæmonis insidias à nobis avertire digneris,  
 Ut omnes pia tibi devotione addictos tutelâ tuâ fovere digneris,  
 Ut eos à peccatis mortalibus, eorumque occasionibus clementer præservare digneris,  
 Ut venerandis eos ante obitum Sacramentis dignè facias expiari,  
 Ut eos in mortis agone confortare, & contra dæmonum incursus defendere digneris,  
 Ut blandam'eis Judicis faciem, benignamque sententiam exorare digneris,  
 Ut eos in Regionem viventium gaudiis æternis potituros introducere digneris,  
**Agnus Dei, qui tollis peccata mundi,**  
     Parce nobis Domine.  
**Agnus Dei, qui tollis peccata mundi,**  
     Exaudi nos Domine.  
**Agnus Dei, qui tollis peccata mundi,**  
     Miserere nobis.  
     Pater noster. &c.

Te rogamus audi nos.

**V.** O Sancte Juda tu nobis impetra  
**R.** Ne Deus summat ibi suplicia.

## ORATIO.

**C**lementissime Deus, qui Sanctum Apostolum Judam Thaddæum eximiis corporis, & animæ dotibus exornasti: ipsius meritis, & intercessione nobis concede; ut vitae nostræ aetibus hic tibi placentes, ibi aeternæ beatitudinis premia a te percipere mereamur. Amen.

*Precatiuncula ad S. Apostolum Judam Thaddæum, pro pravis cogitationibus repellendis adhibenda.*

**P**atrone selectissime Juda, me dæmon allicit;  
 Perversa sunt, quæ suggerit,  
 Fac, quæso, ne consentiam:  
 Mortem magis oppetere  
 Opto, Deum quam lædere!

**Oratio ad Sanctam JUDAM THADDÆVM.**

*Ex medulla sacrarum precum.*

**S**ancte Juda Christi Cognate, Apostole, & Martyr, qui fidem in Mesopotamia, Perside, ac vastissimis illis Regionibus

onibus, & efferatis gentibus disseminâsti: doctrinâ, ac miraculis clarus, innumerebiles filios JEsu Christo peperisti: allatâ ad Abagarum Regem Christi imagine, cœlestem simul lucem in cubiculum Regium, & Regi sanitatem animi, corporisque attulisti; anima spem meam virtutibus, ut vivens & moriens vera spe plenus experiar in me id verum esse, quod Rex Abagarus illi Christi imagini aureo charactere in hunc sensum subscriptis: *Spes illa nullum fallit, quam quis in te, Christe, ponit.*

**V.** Sancte Juda ora pro me:

**R.** Et omnibus, qui colunt te.

O R A T I O.

**I**ntercede pro nobis Beatae Juda Christi Apostole, Prædicator veritatis, atque Martyr, tuisque precibus obtine, ut Catholicæ fidei sinceritas variis peregrinis doctrinis extinetis reflorescat, & ego terminis Apostolicæ Prædicationis, atque Traditionis innitens, ea, quæ vocationi meæ congruunt, sollicitè præstem; nihil autem Christi amore, & Ecclesiæ unitate in omni via ducam. Per eundem JEsum Christum Dominum nostrum Filium tuum, qui tecum vivit, & regnat in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

CUL-



**C V L T V S**  
**SANCTORUM SOCIETATIS**  
**J E S U.**  
**L I T A N I Æ**  
**AD SANCTUM PATREM**

**I G N A T I U M.**

**K**Yrie eleison,      Christe eleison,  
 Kyrie eleison.  
 Christe audi nos,      Christe exaudi nos.  
 Pater de Cœlis Deus,    Miserere nobis.  
 Fili Redemptor mundi Deus,    Miserere  
 nobis.

Spiritus Sancte Deus,    Miserere nobis.  
 Sancta Trinitas unus Deus,    Miserere  
 nobis.

Sancta MARIA,      Ora pro nobis.

Sancta Dei Genitrix,

Sancta Virgo Virginum,

Sancte Pater IGNATI,

Ignis à Deo orbi illate,

Fundator Societatis JESU,

Cultor admirande SS Trinitatis,

JESU, & Mariæ delicum,

Annule digitii Dei,

Señtator Apostolorum,

Ora pro nobis.

Æmulator Martyrum,  
 Cognitor cælestium arcanorum,  
 Zelator animarum,  
 Vas electionis portans nomen JEsu,  
 Lumen totius orbis,  
 Exemplar pérfectionis,  
 Extirpator vitiorum,  
 Gazophylacium virtutum,  
 Contemptor mundi, & vanitatum  
     eius,  
 Decus vitæ mixtæ,  
 Zelotes majoris Dei gloriæ,  
 Lucerna charitatis ardens, & lucens,  
 Abyssus humilitatis,  
 Lignum castitatis,  
 Prodigium obedientiæ,  
 Norma patientiæ,  
 Idea mortificationis,  
 Regula devotionis,  
 Imago abstinentiæ,  
 Sidus constantiæ,  
 Speculum modestiæ,  
 Conciliator dissidentium,  
 Magister ignorantium,  
 Restaurator pietatis,  
 Pacis, & sanctimoniarum templum,  
 Conviva mensæ Christi,

Ora pro nobis.

Sa-

Sacrarium Sanctissimæ Eucharistiae,  
 Antesignane militiae JESU,  
 Everstor Idolorum,  
 Dux Pœnitentium,  
 Pharos naufragantium peccatorum,  
 Piscator infidelium,  
 Venator ferarum mentium,  
 Discretor spirituum,  
 Amator Crucis Christi,  
 Ocelle Religiosorum,  
 Sanitas infirmorum,  
 Solatium afflictorum,  
 Asylum pauperum,  
 Nutritie orphanorum,  
 Doctor parvulorum,  
 Pater Studiose juventutis,  
 Novum militantis Ecclesiæ subsidium,  
 Propugnaculum Fidei Catholicæ,  
 Atlas Ecclesiæ Dei,  
 Refugium parturientium,  
 Terror dæmonum,  
 Patrona te colentium,  
 Sancte Pater Ignati.  
 Agnus Dei, qui tollis peccata mundi,  
     Parce nobis Domine.  
 Agnus Dei, qui tollis peccata mundi,  
     Exaudi nos Domine.

Ora pro nobis.

Agnus

Agnus Dei , qui tollis peccata mundi ,  
 Miserere nobis.  
 Christe audi nos, Christe exaudi nos.  
 Kyrie eleison, Christe eleison,  
 Kyrie eleison.  
 Pater noster, &c.

V. Ora pro nobis Sancte Pater Ignati :  
 Rx. Ut digni efficiamur promissionibus  
 Christi.

## O R E M U S.

**D**EUS, qui ad majorem tui Nominis gloriā propagandā, novō per Beatum Ignatium subsidiō, militantem Ecclesiam roborāsti : concede ; ut ejus auxiliō, & imitatione certantes in terris, coronari cum ipso mereamur in cœlis. Qui vivis, & regnas cum Deo Patre in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

*Alia ad eundem S. efficax*

## O R A T I O.

**O** Gloriosissime Sancte Pater Ignati ! qui ardenter erga Divinam Majestatem amore, & ferventissimō animarum zelō mirabiliter à Deo dotatus fuisti : te hodie, pedibus tuis advolutus, humili-

A a

ter

ter deprecor ; ut specialem curam gerere digneris omnium mearum necessitatum, mihique à Deo (cujus nunc beato aspectu frueris in cœlo) impetrare gratiam, meipsum intimè cognoscendi , de peccatis meis vehementer dolendi , Deo ex toto corde serviendi , meque penitus à rebus terrenis abstrahendi , & achærendi cœlestibus, per continuum solidarum virtutum studium ; ita , ut tuis insistendo vestigiis, Divinâ misericordia pertuam efficacissimam intercessionem adjutus, in gratia finali moriar, dignusque efficiar, qui tecum videam , amem , & glorificem Deum meum in æternum. Am.

### ORATIO

*Recitanda ante Imaginem S. Ignatii.*

**S**Alve Sancte Patriarcha Ignati, imitator JESU Christi, templum Spiritus Sancti, Serve amate SS. Trinitatis. Salve æmulator Martyrum, imago Apostolorum, vas electionis singulare. Salve expugnator vitiorum, compendium virtutum, idea perfectionis. Salve norma patientiæ, castitatis lilium, modestiæ speculum. Salve obedientiæ prodigium, cha-

charitatis ignis, pauperum refugium. Salvare exemplar abstinentiae, humilitatis prototypum, afflitorum solatum : Auxiliare, Magister ignorantium, dux pœnitentium, reformator Christianorum. Illumina mentem meam, lux infidelium : Guberna cor meum, magne affectuum tuorum moderator, impetra mihi veniam, felicissime pacis conciliator. Exora in bono perseverantiam, firma Ecclesiae columna. Intercede pro me, meisque omnibus, tum consanguineis, tum amicis, & benefactoribus, strenue Clientum tuorum Protector. Sis mihi scutum in adversitatibus, defende me à tentationibus, & omnibus in vita malis, nec me deseras in hora mortis meæ. Amen.

*Antiph.* Ego Dominus vocavi te in justitia, & apprehendi manum tuam, & servavi te, & dedi te in fœdus populi, in lucem gentium, ut aperires oculos cæcorum, & educeres de conclusione vincetum, de domo carceris sedentes in tenebris.

V. Annunciate inter gentes gloriam ejus:  
R. In omnibus populis mirabilia ejus.

## OREMUS.

**D**EUS, qui servum tuum Sanctum Ignatium de mundi castris ad spiritualis militiae triumphos evocasti: praesta quæsumus; ut eum lequamur ducem morum, & protectorem consequamur. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

*Antiph.* Idcirco posui te, ut ostenderem in te fortitudinem meam, & narretur nomen meum in omni terra.

**V.** Ora pro nobis Sancte Pater Ignati:

**R.** Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

## OREMUS.

**D**EUS, qui glorificantes te glorificas, & in Sanctorum tuorum honoribus honoraris: concede propitius; ut qui Sancti tui Ignatii gloria merita colimus, ejus apud te pia patrocinia sentiamus. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

*Sui ipsius oblatio, à S. P. Ignatio Fundatore Societatis JESU usurpata.*

**S**Uscipe Domine universam libertatem meam, accipe memoriam, intellectum, & voluntatem meam omnem; quidquid

quid habeo, vel possideo, & mihi largitus es, id totum tibi restituo, & tuæ voluntati prorsus tradœ gubernandum Amorem tui felicem cùm gratia tua mihi dones, & dives sum satis, neque aliud ultra posco Qui vivis, & regnas cum Deo Patre in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

### *Affectus S. Ignatii.*

O DEUS! ego amo te,  
Nam prior tu amasti me.  
En libertate privo me,  
Ut sponte vincetus sequar te,  
Nil suggerat memoria,  
Nisi de tua gloria:  
Nil intellectus sapiat,  
Præterquam ut te capiat.  
Protestor nihil velle me,  
Nisi quod sciam velle te:  
Quæ dono tuo mea sunt,  
Hæc dono meo tua sunt.  
A te accepi, recipe;  
Quid iis velis, præcipe:  
Guberna sicut scis, & vis,  
Nam scio, quod amator sis.

Amore solo dona me,  
 Ut ego quoquè amem te,  
 Et vigil, & per somnia:  
 Hæc dando dabis omnia.

L I T A N I Æ  
 AD  
 S. F R A N C I S C U M  
 X A V E R I U M.

K Yrie eleison,      Christe eleison,  
 Kyrie eleison.  
 Christe audi nos,      Christe exaudi nos.  
 Pater de Cœlis Deus,    Miserere nobis.  
 Fili Redemptor mundi Deus,    Miserere  
 nobis.  
 Spiritus Sancte Deus,    Miserere nobis.  
 Sancta Trinitas unus Deus,    Miserere  
 nobis.  
 Sancta MARIA,              Ora pro nobis.  
 Sancta Dei Genitrix,  
 Sancta Virgo Virginum,  
 Sancte Pater Ignati,  
 Sancte Francisce Xaveri, dignissime,  
 & dilectissime Fili S. Patris Ignatii  
 Sancte Francisce Xaveri Indiarum  
 Apostole,  
 Sancte Francisce Xaveri Evangelizans pacem,      Vas

Ora pro nobis.

Vas electionis portans nomen JESU?  
coram gentibus,  
Vas redundans Divinæ charitatis,  
Firmamentum Orientis Ecclesiæ,  
Propugnator Fidei,  
Impugnator infidelitatis,  
Prædicator Evangelicæ veritatis,  
Idolorum destruētor,  
Electum à Patre æterno instrumen-  
tum propagandæ Divinæ gloriæ,  
Fidelis imitator, & socie JESU Chri-  
sti Filii Dei,  
Tuba resonans Sancti Spiritus,  
Columna Templi Dei.  
Lux paganorum,  
Magister credentium,  
Speculum veræ pietatis,  
Dux in via virtutum, & Christianæ  
perfectionis,  
Exemplar Apostolici Spiritus, & san-  
ctitatis,  
Lumen cœcorum,  
Pes claudorum,  
Auxiliator naufragantium,  
Salus ægrotorum,  
Fugator dæmonum,  
Vita mortuorum,

Ora pro nobis.

Cujus potestati obediunt mare , & ?  
 tempestates ,  
 Cujus imperia venerantur universa  
 elementa ,  
 Prodigiorum Thaumaturge ,  
 Refugium miserorum ,  
 Gaudium afflictorum ,  
 Orientis splendor ,  
 Pignus resurrectionis ad vitam gra-  
 tiæ , & gloriæ ,  
 Tabernaculum incorruptionis ,  
 Ærarium Divini amoris ,  
 Gloria Societatis JEsu ,  
 Legate Apostolicæ Romanæ Sedis ,  
 Pauperrime Xaveri ,  
 Castissime Xaveri ,  
 Obedientissime Xaveri ,  
 Humillime Xaveri ;  
 Crucis Christi , ac laborum pro Chri-  
 sto cupidissime Xaveri ,  
 In salutem proximi vigilanssime  
 Xaveri ,  
 Svavissime Xaveri ,  
 Gloriosissime Xaveri ,  
 Animarum , & Divini honoris zela-  
 tor ardentissime ,  
 Angele moribus , & vitâ ,

Ora pro nobis.

Patri-

Patriarcha affectu, & studiô curan-  
di populum Dei,  
Propheta donô, & spiritu,  
Apostole dignitate, & merito,  
Doctor gentium potens in multifario  
sermone, & opere,  
Confessor virtute, & vitæ professio-  
ne,  
Virgo animo, & corpore,  
In quo uno omnium Sanctorum me-  
rita ex Divina benignitate ve-  
neramur,

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi,  
Parce nobis Domine.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi,  
Exaudi nos Domine.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi,  
miserere nobis.

Christe audi nos, Christe exaudi nos.

Kyrie eleison, Christe eleisôن,  
Kyrie eleison.

Pater noster, &c.

V. Et ne nos inducas in temptationem :

R. Sed libera nos à malo.

V. Ora pro nobis S, Franciscæ Xaveri :

V. Ut digni efficiamur promissionibus  
Christi.

Ora pro nobis.

## ORE M U S.

**D**EUS, qui Indiarum gentes Beati Francisci prædicatione, & miraculis Ecclesiæ tuæ aggregare voluisti: concede propitius; ut, cuius gloria merita veneramur, virtutum quoquè imitemur exempla. Per Dominum nostrum JESUM Christum Filium tuum, qui tecum vivit, & regnat in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

**D**omine JESU Christe, per illâ quinque vulnera, quæ tibi in Cruce nostri amor inflixit, intercedente Beato Francisco Xaverio famulis tuis subveni, quos pretioso Sangvine redemisti. Qui vivis, & regnas cum Deo Patre in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

*Affectus S. Francisci  
Xaveri.*

**O** Deus! ego amo te:  
Nec amo te, ut salves me;  
Aut quia non amantes te,  
Æterno punis igne.

Tu,

Tu, tu mi JESU, totum me,  
 Amplexus es in Cruce,  
 Tulisti clavos, lanceam,  
 Multamque ignominiam:  
 Innumeros dolores,  
 Sudores, & angores,  
 Ac mortem; & haec propter me,  
 Ac pro me peccatore.  
 Cur igitur non amem te?  
 O JESU amantissime!  
 Non ut in Cœlo salves me,  
 Aut ne æternum damnes me:  
 Nec præmii ullius spe:  
 Sed, sicut tu amasti me,  
 Sic amo, & amabo te;  
 Solùm quia Rex meus es,  
 Et solùm, quia Deus es.

## *Affectus Xaveriani Amoris.*

**A**mo Deum! sed liberè,  
 Amo! sed hoc amore,  
 Quem corde novit scribere,  
 Qui dignus est amore.  
 Amo! sed haec incendia  
 Vos astra non paratis:  
 Non appetit stipendia,  
 Qui vult amare gratis.

Non

Non urget in cœlestibus  
 Me spes beatæ fortis ;  
 Nec his adurit æstibüs  
 Æterna pœna mortis.

Amor coëmptus nullus est ,  
 Amabo nil petendo :  
 Amor coaëtus nullus est ;  
 Amabo nil timendo.

Tu mi Redemptor ! horridos  
 Eneëte per dolores ,  
 Tu cor mihi tam torridos  
 Resolvis in calores.

Crux, probra, clavi, tubera ,  
 Tot flagra, tot cruores ,  
 In corde sicut ubera ,  
 Tot nutrunt amores.

Istis amoris ignibus  
 Mens tota concalescit ,  
 Dum mortis ex insignibus  
 Te cognitum stupescit.

Extingve cœli lumina :  
 Adhuc, adhuc amabo ,  
 Extingve Ditis flumina :  
 Adhuc, adhuc amabo .  
 Spes nulla sit, si diligam :  
 Adhuc, adhuc amabo .

Styx nulla, si non diligam:  
 Adhuc, adhuc amabo.  
 Nil das? adhuc amaberis,  
 Spes nulla me titillat,  
 Damnas! adhuc amaberis,  
 Nec sic amor vacillat.  
 Ruente cœli lumine.  
 Orcoque deflagrante,  
 Manente solo Numine;  
 Amabo, sicut ante.

## SACRAMENTVM POENITENTIÆ.

*M O D U S*  
*Examinandi Conscientiam, & con-*  
*fitendi.*

**N**otandum est, ut Confessio consequatur suum effectum, debet præcedere dolor de peccatis: firmum propositum non peccandi, & occasiones vitandæ.

Notandum est 2. Quando pænitens non scit determinatum numerum peccatorum, debet addere ilias particulas plus, vel minus: nisi forsan effet talis peccator; qui raro confiteretur, aut innumeris sit innodatus peccatis, tali sufficit adhibita diligentia, si pravam aperiat peccandi consuetudinem per mens, aut bebdomadas decurrendo.

*Notan.*

*Notandum 3. Pænitens accedens ad Confessionem, petat benedictionem: quā acceptā ordiatur in hunc modum: Confessus sum ante dies, tot, & tot, eāmque Confessionem non eā, qua par erat devotione perfeci, pœnitentiam mihi iunctam negligenter persolvi; ante & post Communionem non eā, quā debui reverentia, & gratitudine me gessi.*

*Primò examinet se, an dubitaverit in Fide, blasphemaverit contra Deum, Santos; atque usus sit superstitionibus, nec ne? 2. An Nomen Domini in vanum acceperit, irriserit, opprobriis afficerit cum scandalo aliorum, aut res sacras in honora raverit. 3. An die Festo Missam neglexerit ex toto, vel ex parte, alias impediverit ab ejusdem auditione; vel compulerit, ubi incumbebat ei, & laboraverit opera servilia per se, vel per alias; Tempore Missæ locutus sit obscena, & scurilia. 4. An in honoraverit Parentes, eosque conturbaverit, irriserit: Similiter alias, quibus honorem præbere debuerat. 5. An causa fuerit alicujus homicidii, vel magnæ laisionis, aut effusionis sanguinis per se, vel per alium, consilio, aut instinctu proprio. 6. An inciderit in aliquod peccatum carnis, nimirum in adulterium, fornicationem, sacrilegium, aut pollutio nem: Similiter an habuerit turpes, & enormes tatus, aut cogitationes morosas circa determinatam aliquam personam. 7. An damnum intulerit in bonis alienis per se, vel per alium consilio, aut instinctu proprio, surripiendo rem alienam, vel detinendo*

*nendo scienter. Similiter an sit usus contractibus illicitis, ad usuram, aut simoniam. An alios de-cepert in emptione, vel venditione, occultando no-tabilem defectum rei. An, & ubi tenebatur ad re-stitutionem, non fecerit. Mercenariis, & aliis servitoribus in mercede, an subtraxerit. 8. An falsum locutus sit testimonium contra proximum su-um, in damnum tertii, detrahendo famæ, aut opi-nioni; an juraverit, & mentitus sit graviter, & alios ad juramenta, & execrations induixerit. 9. & 10. An substantiam alienam concupiverit ani-mo retinendi illicite, modumque quæsiverit per se, vel per alium.*

## *Quinque sensus hominis.*

Visus, Auditus, Gustus, Odera-tus, & Tactus

## *Præcepta Ecclesiæ.*

Statutos Ecclesiæ festos dies ab ope-ribus servilibus abstinentio celebrare.

Sacrum Missæ Officium diebus Fe-stis reverenter audire.

Quadragesimæ, Quatuor Anni tem-poribus, & Vigiliis secundùm morem Ecclesiæ jejunare: Feriâ sextâ, & Sab-bato à carnibus abstinere.

Peccata Sacerdoti approbato con-fiteri, & Sacrosanctam Eucharistiam circa Festum

Festum Paschæ sumere, idque ut minimum semel in Anno.

Diebus interdictis ab Ecclesia nuptias non celebrare.

*Septem peccata capitalia, quæ  
communiter mortalia appellantur.*

Superbia, Avaritia, Luxuria, Invidia, Gula, Ira, & Acedia.

*Ejaculatoria Ægrotantium.*

**J**USTUS es Domine, & rectum judicium tuum.

Bonum mihi, quia humiliâsti me, ut discam justificationes tuas.

Deus propitius esto mihi peccatori: da veniam in gratia tua mori.

O cur unquam te offendì! ô amabilissima bonitas! ô Majestas colendissima!

Doleo jam sincerissimè amore tui, qui amari super omnia infinitè dignus es.

Agnosco, & amplector charitatem tuam erga me; detestor ingratitudinem meam erga te.

Recordare JESU pie, quòd sim causa tuæ viæ, ne me perdas illa die.

Quæ-

Quærens me sedisti lassus, redemisti  
crucem passus, tantus labor non sit cassus.

## *Conformatio voluntatis no- stræ cum Divina, tempore morbi.*

**O**Dulcissime JESU! neque vitam, neque mortem, sed tuum beneplacitum desidero, te expecto, fiat mihi secundum voluntatem tuam. Si vis, ut moriar, dulcis JESU! suscipe spiritum meum; & licet ad vesperum veniam novissimus, da mihi, ut tecum, & in te requiem accipiam sempiternam. Si vero vis, ut diutius vivam, dulcis JESU! pro hoc gratiæ tuae suffragio rogo; da, ut reliquum vitæ tempus corrigam, atque in holocaustum me tibi totum offeram in gloriam tuam secundum beneplacitum tuum. Amen.

## *Oratio præparatoria ad Con- fessionem Sacramentalem.*

**C**onditor Cœli, & terræ, Rex Regum, & Dominus Dominantium, qui me de nihilo fecisti ad imaginem, & similitudinem tuam, & me tuo proprio sanguine redemisti; quem ego peccator

non sum dignus nominare, nec corde cogitare; te suppliciter deprecor, & humiliter exoro; ut clementer respicias me servum tuum, & miserere mei, qui misertus fuisti mulieris Chananææ, & Mariæ Magdalenaæ; qui pepercisti Publicano, & Latroni in cruce pendenti. Tibi confiteor Pater piissime peccata mea, quæ si volo abscondere, non possum Domine. Parce mihi Christe, quem ego nuper multum offendii cogitando, loquendo, operando, & omnibus modis, quibus ego fragilis homo, & peccator pecare potui; mea culpa, mea culpa, mea maxima culpa: ideo Domine precor tuam clementiam, qui de Cœlo pro mea salute descendisti, qui David à peccati lapsu erexisti, parce mihi Domine, parce mihi Christe, qui Petro te neganti pepercisti. Tu es Creator meus, & Redemptor meus, Dominus meus, & Salvator meus, Rex meus, & Deus meus. Tu es spes mea, & fiducia mea, gubernatio mea, & consolatio mea, auxilium meum, & fortitudo mea, defensio mea, & liberatio mea, vita mea, salus mea, & resurrectio mea, lumen meum, & desiderium

siderium meum, adjutorium meum, & Patrocinium meum. Te deprecor, & rogo, adjuva me, & salvis ero: guberna me, & defende me; conforta me, & consolare me, confirma me, & latififica me, illumina me, & visita me. Suscita me mortuum, quia factura, & opus tuum sum. Domine ne despicias me, quia famulus, & servus tuus sum, quamvis malus, quamvis indignus, & peccator. Sed qualiscunque sum, sive bonus, sive malus, semper tuus sum. Ad quem ergo fugiam, nisi ad te vadam? si tu me ejicies, quis me recipiet? si tu me despicias, quis me aspiciet? Recognosce me ergo indignum ad te contigentem. Quamvis sum vilis, & immundus; quia si vilis, & immundus sum, potes me mundare: si cœcus sum, potes me illuminare: si infirmus sum, potes me sanare: si mortuus, & sepultus sum, potes me resuscitare: quia major est misericordia tua, quam iniquitas mea; major est pietas tua, quam impietas mea: plus potes dimittere, quam ego committere; & plus parcere, quam ego peccator peccare. Non ergo despicias me Domine, neque atten-

das multitudinem iniquitatum mearum ; sed secundum multitudinem miserationum tuarum miserere mei . & propitius esto mihi maximo peccatori : Dic animæ meæ : salus tua ego sum. Qui dixisti : nolo mortem peccatoris ; sed magis , ut convertatur , & vivat. Converte me Domine ad te , & neli irasci contra me. Depreor te clementissime Pater , propter misericordiam tuam supplico , & exoro , ut perducas me ad bonum finem , & ad veram pœnitentiam , puram Confessionem , & dignam satisfactionem omnium peccatorum meorum. Amen.

### *Præparatio ad Confessionem.*

**S**Urgam , & ibo ad Patrem meum , & dicam : Pater ! peccavi in Cœlum , & coram te , non sum dignus vocari filius tuus , fac me sicut unum de pœnitibus tuis , & mitte mihi hodie unicam solummodo micam de mensa infinitæ tuæ misericordiæ ; ut peccata mea cognoscere , deslere , dignamque de illis pœnitentiam agere possim.

Gra-

*Gratiaram actio.*

**S**ED quid retribuam, ô clementissime Deus! pro omnibus, quæ retribuisti mihi? ab æterno me dilexisti, & ut spero, ad æternam gloriam me prædestinasti. Creâsti me, cùm non essem; & postquam perieram, Filius tuus pro me homo factus, sanguine proprio me redemit: cuius merita adeò copiosè mihi applicâsti: præter Angeli boni custodiam etiam præceptores procurâsti, qui me in honesta, ac liberali disciplina, vera tui cognitione, ac timore, sanctaque Fide Catholica imbuerent. Quid, inquam, retribuam tibi pro his, & innumeris aliis, ad hanc usque præsentem horam in me collatis beneficiis? próque tua infinita bonitate? quam agnoscō, ac veneror: & glorifico te, ô clementissime Pater! laudo, benedico, & ex toto corde, quas possum, gratias ago; atque in debitam gratiarum actionem, infinita merita, & obsequia Filii tui, unà cum meritis Beatæ Virginis Mariæ, Angeli mei Custodis, omniūque Sanctorum, Divinæ Majestati tuæ offero, unicè optans, ut me semper gratum exhibeam.

*Luminis petitio.*

PER eandem ergo charitatem tuam, misericordissime Pater, dignare cæteris beneficiis tuis etiam hoc addere, ut mentis meæ tenebras gratiâ tuæ visitationis iilumines, affectum voluntatis inflammas, & corrobores, ad cognoscendum, quidquid cogitatione, & affectu; verbis prolatis, & auditis, operibus, & omissionibus, contra te, proximum, Parentes, Superiores, æquales, minores, me metipsum peccavi.

*Conscientiæ discussio.*

O Scrutator cordium, & rerum, Deus! qui considerâsti semitas meas, & omnes gressus meos dinumerâsti: quid tibi hodie (vel diebus præteritis) pro infinitis bonis tuis reddidi?

*Cogitatione, & affectu.*

H Eū! quoties otiosâ, vanâ, superbâ, inordinatâ, impurâ, carnali, & venereâ, gulosaâ, invidiosaâ, iracundaâ, suspicioса, temeraria, fraudulentâ, scruplosâ, desperabundâ, &c.

*Verbis*

*Verbis prolatis, & auditis.*

**E**T vel maximè otiosis, inconsideratis, superbis, mordacibus, inverecundis, impudicis, scandalosis, iracundis, vanis, detractoriis, contumeliosis; mendacibus, falsis, simulatis, adulatoriis, affectatis, execratoriis, imprecatoriis, dictis non rectâ, sed tectâ, & falsa intentione.

*Operibus, & omissionibus.*

**A**D nullum bonum finem directis, vanis, & otiosis, & in gratiam hominum tantum factis, inordinatis, in finem minus decentem, nec debitò modò, tempore, aut loco transactis, perfunctoriis, & absque attentione, ac devotione; quin potius hypocriticè perfectis, immorigeris, contra præcepta Dei, & Ecclesiæ; contra debitum officii proprii, & remorsum conscientiæ.

*Dolor de peccatis.*

**O**PATER misericordiarum! quid retrahui tibi pro dilectione tua? nil, nisi peccata, negligentias, ingratitudinem: utinam te nunquam offendisse, nec of-

fenderem posthac in æternum ! Tibi soli peccavi , & malum coram te feci. Doleo de his N. maximè , & de aliis omnibus peccatis , negligentiis , & offendibus meis , propter te infinito amore , & honore dignissimum , quem his offendit. O misericordissime Deus ! non permittas me damnari , quem tu de nihilo creasti. O benignissime Deus ! recognosce , quod tuum est in me , & absterge , quod alienum est à te ; ne perdat me iniquitas mea , quem fecit omnipotens bonitas tua. O Deus suminè amabilis ! quem amo nunc , & diligo super omnia , & ex hoc ipso tui amore , te offenditum ex animo doleo , & erubesco.

### *Propositum emendationis.*

**C**Upio , mi Deus ! proponóque serio vitam meam emendare , omniáque peccata , præsertim hæc N. nunquam committere. Perfice ergo , Deus cordis mei , hoc quantumvis imperfectum desiderium meum. In satisfactionem peccatorum meorum , & ad impetrandam gratiam tuam , offero tibi pretiosam passionem , mortem , & universa merita Unigeniti Filii tui , ejusdém-

ejusdèmque Virginis Matris, ac omnium  
Sanctorum opera, universam reliquam  
vitam meam, & confido in bonitate, ac  
misericordia tua infinita, quòd per ejus-  
dem Filii tui merita. & Sanctorum Pa-  
trocrinia mihi remissurus sis omnia peccata  
mea, gratiámque uberem largitus, quâ  
vitam sanctè deinceps instituam, tibique  
perfectè usque in finem serviam. Amen.

### *Actus Contritionis.*

O Benignissime Deus ! ô Iuvavissime JE-  
su, amor meus ! doleo ex intimo  
corde, quòd Majestatem tuam, ac boni-  
tatem infinitam peccatis meis offenderim,  
quam debedo, & nunc volo amare, amo-  
que super omnia ; idque quia tu es De-  
us infinitè bonus, potens, sanctus, & sa-  
piens, cui peccatum super omnia disipli-  
cit, & adversatur. O si te nunquam of-  
fendissem ! Revoco, retracto, detestor,  
& quantum possum annihilo, quidquid fe-  
ci cogitatione, verbô, & omissione con-  
tra te, cupioque, ac desidero totâ ani-  
mâ mea me id nunquam fecisse.

Heu ! pœnitet me iterum, ac iterum,  
& millies, pœnitentib[us]que totâ vitâ meâ.

Et quamvis nulla poena, ut infernus es-  
set, nullum Cœlum; tua tamen amabi-  
lissima bonitas à me, heu mihi! sufficit  
offensa, ut mihi cor dolore disrumpatur,  
& oculi flumina lacrymarum profundant.

Quare propter hunc tui amorem fir-  
missimè statuo, non amplius te offendere,  
omnes peccandi occasiones fugere, ritè  
confiteri, pœnitentiam implere, omne,  
ad quod obligor, facere; imò ut pleni-  
ū satisfaciam, condono omnibus omnes  
injurias, & offensas mihi factas, sicut me-  
as à te peto mihi condonari: similque  
pro peccatis meis offero tibi vitam, actio-  
nes, ac labores meos omnes; & sicut  
nunc tibi supplico, ita de tua infinita bo-  
nitate, & misericordia confido, te mihi,  
per pretiosi Sangvinis, & passionis tuæ  
merita veniam cum gratia daturum, ut  
emendatus in finem usque perseverem.

Respice ergo Domine JESU Christe  
super me miserum peccatorem oculis mi-  
sericordiæ, quibus respexisti Petrum in  
atrio, Magdalenam in convivio, & La-  
tronem in crucis patibulo: & præsta; ut  
cum Petro peccata mea dignè defleam,  
cum Maria Magdalena perfecto amore te  
dili-

diligam, & cum Latrone in sæcula sæculorum te in paradyso videam. Amen.

## *Oratio ante Confessionem Sacramentalem.*

**S**uscipe Confessionem meam, piissime, ac clementissime Domine JESU Christe, unica spes salutis animæ meæ; & da mihi obfecro contritionem cordis, & lacrymas oculis meis, ut defleam diebus, ac noctibus omnes negligentias meas cum humilitate, & puritate cordis. Appropinquet oratio mea in conspectu tuo Domine, si iratus fueris contra me, quem adjutorem quæram? quis miserebitur iniqüitatibus meis? Memento mei Domine, qui Chananæam, & Publicanum vocasti ad pœnitentiam, & Petrum lacrymantem suscepisti. Domine meus! suscipe preces meas: Salvator mundi JESU bone! qui te Crucis morti dedisti, ut peccatores salvos faceres: respice me miserum peccatorem invocantem nomen tuum, & noli sic attendere malum meum, ut obliviscaris bonum tuum. Et si ego commisi, unde me damnare potes, tu non amisisti, unde salvare soles. Parce ergo mihi, qui es

**E**s Salvator meus, & miserere peccatri-  
ci animæ meæ : solve vincula ejus, sanæ  
vulnera. Domine JESU ! te desidero, te  
quæro, te volo, ostende mihi faciem tu-  
am, & salvus ero. Emitte igitur piissi-  
me Domine, meritis purissimæ, & Im-  
maculatæ semper Virginis Genitricis tuæ  
Mariæ, & Sanctorum tuorum, lucem tu-  
am, & veritatem tuam in animam me-  
am, quæ omnes defectus meos in verita-  
te mihi disponat, & ostendat, quos confi-  
teri me oportet, atque juvet, & doceat  
ipsos plenè, & contrito corde explicare.  
Qui vivis, & regnas cum Deo Patre in  
unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia  
sæcula sæculorum. Amen.

### *Modus brevis eliciendi dolorem de Peccatis.*

**C**Um sæpiissimè elici debeat tam ante Confessionem,  
quam ante Sacrum, & in ipso Sacro, ideo præ-  
mittitur hic dolor. Prima, & maxima cura pæni-  
tentis sit, ut eliciat verum ante Confessionem dolo-  
rem ; nisi quis enim eliciat dolorem verum superna-  
turalem de suis peccatis, erit invalida Confessio ; estò  
solium confiteatur venialia, & peccet mortaliter, &  
facit sacrilegiam Confessionem.

*Actus*

# *Actus Attritionis supernalis.*

**D**Oleo Deus meus, quod te supremum Dominum, & Deum meum peccatis meis offenderim, quia per illa meritum sum infernum, & ignes purgatoriū, ad quos tu tanquam Judex me condemnare poteras. Propono firmiter, quod nolim te unquam imposterum offendere: pro qua gratia humiliter supplico, ut eam mihi elargiaris, sine qua nihil possum.

# *Actus Contritionis.*

**O**Mi Deus! doleo ex toto corde, quod contra te peccaverim, ideo vel maximè, quia amo te super omnia, & dignus es infinito amore. Utinam te nunquam offendissem! Parce Domine per Sacro-sancta tua quinque Vulnera, per pretiosissimum Sangvinem tuum, quem pro mea, & totius mundi salute effudisti. Per merita Beatissimæ Virginis, & omnium Sanctorum Ego quoque propono firmiter emendationem.

*Tres modi sunt gratiosi elicendi Actum Contritionis.*

P R I M U S.

**A**Mo te Deus meus super omnia, quia infinitè es bonus, Sanctus, amabilis, omnipotens, &c. Et quia sic te amo, detestor, & ex toto corde, & animo omnia peccata mea, quæ contra te supremum Dominum, & Deum meum commisi: ideo præcisè; quia te offendit, mihi peccata displicant. Et propono firmiter, non amplius peccare.

S E C U N D U S.

**D**Omne Deus meus! amasti me ab aeterno, in tempore creasti me. Et cum reus mortis æternæ essem, redemisti me. Innumeris beneficiis ex puro amore affecisti me, & plura conferre cupis tam in hac, quam in altera vita, & quidem per totam æternitatem. Doleo, quod te Sanctum Benefactorem meum offendiderim: ideo præcisè, quia tibi peccatum displicet, & quia es amore, & honore dignissimus. Doleo, & propono firmiter, non amplius te velle offendere.

TER-

## TERTIUS.

**F**ili Dei ! ita me amâsti , ut pro me homo factus sis , ex amore tui doleo , quod te offendiderim . Propono emendationem vitæ . Ita me amâsti , ut pro me in stabulo natus , post octo dies circumcisus , &c. tandem pro me sanguinem sudâsti , flagellatus , spinis coronatus , crucifixus sis : Sangvinemque tuum pretiosum effuderis , & in Cruce mortuus , ut saltem salvus fierem , &c. Doleo ex toto corde , quod te Deum meum , Salvatorem , Redemptorem meum offendiderim . O Pater æterne ! respice in faciem Filii tui dilecti JESU Christi , respice super hanc animam meam , pro qua Dominus JESUS Christus non dubitavit manibus tradi nocentium , & Crucis subire tormentum . Miserere mei Domine , miserere secundum magnam misericordiam tuam . Propono firmiter emendationem . Da gratiam , &c.

*Oratio jamjam confessuri.*

**S**Crutator cordium Deus , miserere nunc peccatricis animæ meæ , ejusque clementer & vincula solve , & vulnera fana .

Da

Da cordi meo contritionem, & lacrymarum fontem oculis meis, ut cum humilitate, & puritate cordis omnes iniquitates, & negligentias meas dignè detineam, & integre aperiam, fructuque Sacratissimæ Passionis Christi reviviscat anima mea in vitam æternam. Amen.

### *Methodus confitendi.*

**I**N nomine Patris, &c. Confiteor Deo omnipotenti, Beatae Mariæ semper Virginis, omnibus Sanctis, & tibi Pater, quia peccavi nimis cogitatione, verbô, & opere; præcipue ab ultima Confessione mea, facta ante N. me accuso, quod, &c.

### *Peccata confessus conclude.*

De his ergo, & omnibus peccatis meis doleo: propono emendationem, petoque salutarem pœnitentiam, & absolutionem.

### *Oratio post Confessionem.*

**S**It tibi Domine, obsecro, meritis Beatissimæ semper Virginis Genitricis tuæ Mariæ, & omnium Sanctorum, grata, & accepta ista Confessio mea: & quidquid mihi defuit nunc, & alias de sufficientia Con-

Contritionis, de puritate, & integritate  
Confessionis, suppleat pietas, & miseri-  
cordia tua, & secundum illam digneris  
me habere pleniūs, & perfectiūs abso-  
lutum in Cœlo. Qui vivis, & regnas  
cum Deo Patre in unitate Spiritūs San-  
cti Deus, per omnia sæcula sæculorum.  
Amen.

### *Pro peccatorum remissione.*

O JESU mi dulcissime! ego sum ille  
miser, & infelix peccator, qui tibi  
tot vulnera inflixi, téque rursus pecca-  
tis meis, heu nimis multis, & magnis  
crucifixi! Ecce ante te Judicem, Fra-  
trem tamen meum sto, tot criminum re-  
us, tot peccatis obnoxius, obsecrans te  
per viscera misericordiæ tuæ, aperiantur  
denuò vulnera tua omnia in conspectu  
Patris tui, & fluant in miseram, immun-  
dam, & criminibus multis deturpatam  
animam meam, neque obstruantur, pri-  
usquam me abluerint, & perfectè mun-  
daverint.

### *O R A T I O.*

D EUS, qui diligentibus te facis cuncta  
prodesse: da cordibus nostris invio-  
C C labi-

labilem tuæ charitatis affectum ; ut desideria de tua miseratione concepta , nulla unquam possint tentatione mutari. Per Dominum nostrum JEsum Christum Filium tuum , qui tecum vivit , & regnat in unitate Spiritus Sancti Deus , per omnia saecula saeculorum. Amen.

### ORATIO *Ante Sacram Communionem.*

**A**D mensam dulcissimi convivii tui, pie Domine JEsu Christe , ego peccator de propriis meritis nihil præsumens, sed de tua confidens misericordia , & bonitate accedere vereor, & contremisco. Nam cor , & corpus habeo multis criminibus maculatum ; mentem , & lingvam non cautè custoditam. Ergo ô pia Deitas ! ô tremenda Majestas ! ego miser inter angustias deprehensus, ad te fontem misericordiæ recurro , ad te festino sanandus ; sub tuam protectionem fugio : & quem Judicem sustinere nequeo , Salvatorem habere suspiro. Tibi Domine, plagas meas ostendo : tibi verecundiam meam detego. Scio peccata mea multa , & magna , pro quibus timeo. Spero in misericordiis

cordiis tuis, quarum non est numerus.  
 Respice in me oculis misericordiae Domini  
 ne Iesu Christe, Rex æterne Deus, &  
 homo crucifixus propter hominem. Ex-  
 audi me sperantem in te, & miserere  
 mei pleni miseriis, & peccatis; tu, qui  
 fontem miserationis nunquam manare ces-  
 sabis. Salve salutaris victima pro me, &  
 omni humano genere in Cruce propter  
 me oblata. Salve nobilis, & pretiosa Sang-  
 vis de vulneribus Crucifixi Domini mei  
 Iesu Christi profluens, & peccata totius  
 mundi ablueens. Recordare Domine crea-  
 turæ tuæ, quam tuo Sangvine redemisti.  
 Pœnitentia me peccasse, cupio emendare,  
 quod feci. Aufer ergo à me clementissi-  
 me Pater omnes iniquitates, & peccata  
 mea, ut purificatus mente, & corpore,  
 dignè degustare merear Sancta Sanctorum:  
 & concede; ut sancta prælibatio  
 Corporis tui, & Sangvinis, quem ego in-  
 dignus sumere intendo, sit peccatorum  
 meorum remissio; sit delictorum perfecta  
 purgatio; sit turpium cogitationum effu-  
 gatio, bonorumque sensuum regeneratio;  
 operumque tibi placentium salubris effi-  
 cacia, animæ quoquè & corporis contra

inimicorum meorum insidias firmissima  
tutio. Amen.

### *Alia Oratio S. Thomæ Aquinatis, ante Communionem.*

**O**Mnipotens sempiterne Deus, ecce  
accedo, tanquam infirmus ad me-  
dicum vitæ: immundus ad fontem misé-  
ricordiæ: cæcus ad lumen claritatis æter-  
næ: pauper, & egenus, ad Dominum in  
Cœli, & terræ. Rogo ergo immenſæ lar-  
gitatis tuæ abundantiam, quatenus meam  
curare digneris infirmitatem, lavare fœ-  
ditatem, illuminare cœcitatem, ditare  
paupertatem, vestire nuditatem; ut te  
Panem Angelorum, Regem Regum, &  
Dominum Dominantium tantâ suscipiam  
reverentiâ, & humilitate, tantâ contri-  
tione, & devotione, tantâ puritate, &  
fide, tali proposito, & intentione, sicut  
expedit saluti animæ meæ. Da mihi, q. æ-  
so, Dominici Corporis, & Sangvinis, non  
solum suscipere Sacramentum, sed etiam  
rem, & virtutem Sacramenti. O mitissi-  
me Deus! da mihi Corpus Unigeniti Filii  
tui Domini nostri IESU Christi, quod tra-  
xit de Virgine Maria, sic suscipere, ut  
Cor-

Corpori suo mystico merear incorporari,  
 & inter ejus membra connumerari. O  
 mi amantissime Pater ! concede mihi di-  
 lectum Filium tuum , quem nunc vela-  
 tum in via suscipere propono , revelata  
 facie per petuò contemplari. Qui tecum  
 vivit , & regnat in unitate Spiritus San-  
 eti Deus , per omnia sæcula sæculorum.  
 Amen.

### *Oratio ad B. V. MARIAM.*

**O** Duicissima Virgo Mater Maria ! te  
 deprecor , & oro , ut mihi miseri-  
 mo peccatori assistere digneris in hac ho-  
 ra , qua pretiosissimum Filii tui Corpus ,  
 & Sangvinem suum percepturus , sicut ad-  
 stitisti eidem Unigenito pro nobis in Cru-  
 ce morienti. Loquere , obsecro , apud  
 dilectum Filium tuum pro me , ut tuò be-  
 nignò auxiliò dignè perficiam hoc , quod  
 intendo , mentèque purificatus , & corpo-  
 re , ad meam æternam salutem dignè  
 manna illud absconditum merear de-  
 gustare.

**O** MARIA , flos Virginum ! contege  
 nunc palliò misericordiæ tuæ macu-  
 las cordis , & animæ meæ. Comitare me

nunc dulciter euntem in occursum Filio tuo : impetra mihi benedictionem ab ipso, ut illum cum omni Divina sua virtute, decenter præparatus suscipere, eidemque reclinatorium gratum, & dulce in anima mea præbere possim.

## SACRAMENTVM EUCHARISTIÆ. *INTENTIONE.*

**S**Acro-sancta Trinitas unus Deus ! Divinæ Majestati tuæ hanc Sacram Corporis Domini nostri IESU Christi sumptionem offero, in unione illius amoris, quô Filium Pater in mundum misisti ; & illius oblationis, quâ Filius in Cœna, & Cruce seipsum pro salute mea obtulit : cupio Sacrum ejus Corpus suscipere cum vehementissimo desiderio, & dignissima reverentia, quam aliquis Sanctorum unquam habuit, & sentire potuit.

Primariò offero Divinæ Majestati tuæ hanc immaculatam Hostiam pro N. N. deinde pro iis, pro quibus orare teneor. Et juxta hodiernam meam intentionem. Etiam pro agonizantibus, animabus purgatorii, &c.

Ad

Ad Indulgentias consequendas : Hodieñas, Sodalitatis, Pontificiis, quinque Sanctorum, Religionis, &c.

### Oratio

#### *In accessu ad Sacram Communionem.*

**A** Desto, ô Beatissima Virgo, unà cum Conjuge tuo Sancto Josepho ; tūque ô Angele Custos, & vos præ cæteris mihi dilecti Patroni N. N. latus meum stipate, viamque ad mensam Domini mihi parate.

#### *Devoti affectus ad Christum suscipiendum.*

**O** Dies beata, dies amoris mei, nesciens vesperum, non habens occasum, in qua te, JESU mi, plenè fruar ! junge me tibi, amor meus, inseparabili dilectionis vinculo, quia tu solus amanti sufficis.

Quando intuebor te, ô bone JESU, Sponse mi ! quando te videbo ? anima mea Corpus tuum concupiscit, trade te mihi, & sufficit.

Da mihi amantissime JESU, ut sumendo Corpus tuum sanctissimum, tibi incendiō amoris uniar, & in amore amoris tui moriar. C c 4 In-

Inter brachia tua JESU mi confugi-  
am, inter ea me abscondam, & reclu-  
dam, liceat ibi demorari.

Pone te, ut signaculum, super cor  
meum, ut nullum, nisi propter te, dili-  
gam: annulô tuô despensa te mihi, quia  
tibi soli juro fidem, tibi me tota devo-  
tione commendo.

Saucia mi JESU, saucia interiora mea  
tui amoris jaculô, & torpem ignibus  
salutaribus penetra, & succende.

Ostende, quæso, hodie magnalia tua  
Domine, & glorificetur dextera tua, quia  
non est spes alia, nec refugium mihi, ni-  
sì tu Deus meus.

### *Desiderium.*

**A**ccende igitur mei appetens JESU, in  
me tui desiderium, per illud, quô  
Mater tui amantissima triduô te perditum  
quæsivit; per illud, quô tuam Resurrec-  
tionem suspiravit; per illud, quô ardens post  
Ascensionem tuam quotidie Eucharistiae  
deliciis fruebatur.

### *Aspirationes ante S. Commun.*

JESU infinitè amabilis, & desiderate mil-  
lies! veni in cor meum, posside illud,  
& con-

& conforma cordi tuo. Veni Sol, qui totum mundum illustras, illumina mentem meam. Veni cœlestis austera, & animum perfla; ut in eo crescant grata tibi virtutum aromata. Veni pluvia divinissima, stillicidō tui pretiosi Sangvinis irriga mentem meam.

### *Dum Venerabile suscipis.*

**A**NIMA Christi sanctifica me; Corpus Christi salva me; Sangvis Christi inebria me; Aqua lateris Christi lava me; Passio Christi conforta me; ô bone JESU exaudi me; intrà vulnera tua absconde me; ne permittas me separari à te; ab hoste maligno defende me; in hora mortis meæ voca me; & jube me venire ad te; ut cum Sanctis, & Electis tuis laudem te in sæcula sæculorum. Amen.

### *Oratio S. Thomæ Aquinatis, post Sanctam Communionem.*

**G**RATIAS tibi ago Domine Sancte Pater omnipotens æterne Deus, qui me peccatorem indignum famulum tuum nullis meis meritis, sed sola dignatione misericordiæ tuæ satiare dignatus es pretio-

so Corpore, & Sangvine Filii tui Domini nostri JEsu Christi; & precor, ut hæc sancta Communio non sit mihi reatus ad pœnam, sed intercessio salutaris ad veniam; sit mihi armatura Fidei, scutum bonæ voluntatis, sit vitiorum evacuatio, concupiscentiæ, & libidinis exterminatio, contra insidias omnium, tam visibilium, quam invisibilium firma defensio; motuum meorum tam carnalium, quam spiritualium perfecta quietatio, in te uno, ac vero Deo firma adhæsio, atque finis mei felix consummatio. Et precor te, ut ad illud ineffabile convivium me perducere digneris, ubi tu cum Filio tuo, & Spiritu Sancto, Sanctis tuis es lux vera, satietas plena, gaudium sempiternum, jucunditas consummata, & felicitas perfecta. Per eundem Christum Dominum nostrum. Amen.

### *Alia post Communionem.*

**I**Neffabilem misericordiam tuam Domine JEsu Christe humiliter exoro, ut hoc Sacramentum Corporis, & Sangvinis tui, quod indignus suscepi, sit mihi purgatio scelerum, sit fortitudo fragilium, sit contra

tra mundi pericula firmamentum, sit impetratio veniae, sit stabilimentum gratiae, sit medicina vitae, sit memoria tuae Passionis, sit contra debilitatem fomentum, sit viaticum meæ peregrinationis. Euntem me conducat; errantem me reducat, revertentem me suscipiat, titubantem me teneat, cadentem me erigat, & perseverantem me in gloriam introducat. O altissime Deus! beatissima præsentia Corporis, & Sangvinis tui sic immutet palatum cordis mei, ut præter te nullam unquam sentiat dulcedinem, nullam amet pulcritudinem, nullum quærat illicitum amorem, nullam desideret consolationem, nullum curet honorem, nullam timeat crudelitatem. Qui vivis, & regnas cum Deo Patre in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

## P R E C E S

## MISCELLANÆ.

*Contra fulmina, tonitrua, ventos, imbres, aliasque adversas tempestates.*

*Antiph.* Non accedet ad te malum, & flegillum non appropinquabit tabernaculo tuo.

*Psalm.*

*Psalm.* Qui habitat in adjutorio, &c.  
fol. 91.

## O R E M U S.

**A** Domo tua, quæsumus Domine, spiritales nequitiæ repellantur; & aërearum discedâ malignitas tempestatum. Per Dominum nostrum JESUM Christum Filium tuum, qui tecum vivit, & regnat in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

*Contra easdem tempestates.*

*Antiph.* J. N. R. J. &c.

*Psalm.* 6. Domine ne in furore tuo,  
&c. 29.

*Antiph.* J. N. R. J. Titulus triumphalis defendat nos, & protegat ab omnibus malis. Ecce Crucem Domini nostri JESU Christi, fugite partes adversæ, vicit Leo de Tribu Juda, radix David, Alleluja.

Kyrie eleison, Christe eleison, Kyrie eleison.

Pater noster, &c.

¶. Benedicamus Patrem, & Filium cum Sancto Spiritu:

¶. Laudemus, & superexaltemus eum in sæcula,

¶. Do-

**V.** Domine exaudi orationem meam :  
**R.** Et clamor meus ad te veniat.

*O R E M U S.*

**A**D te nos Domine clamantes exaudi , & aëris serenitatem nobis tribue supplicantibus ; ut , qui justè pro peccatis nostris affligimur , misericordia tua præveniente clementiam sentiamus . Per Dominum nostrum , &c.

*Evangelium S. Joannis.*

**I**N principio erat Verbum , & Verbum erat apud Deum ; & Deus erat Verbum . Hoc erat in principio apud Deum . Omnia per ipsum facta sunt ; & sinè ipso factum est nihil : quod factum est , in ipso vita erat , & vita erat Lux hominum , & Lux in tenebris lucet , & tenebræ eam non comprehenderunt . Fuit homo missus à Deo , cui nomen erat Joannes . Hic venit in testimonium , ut testimonium perhiberet de lumine ; ut omnes crederent per illum . Non erat ille Lux ; sed ut testimonium perhiberet de lumine Erat Lux vera , quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum . In mundo erat ; & mundus per ipsum factus est ; &

mun-

mundus eum non cognovit. In propria venit, & sui eum non receperunt. Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri, his, qui credunt in nomine ejus. Qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt. Et VERBUM CARO FACTUM EST : & habitavit in nobis : & vidimus gloriam ejus, gloriam quasi Unigeniti à Patre plenum gratiæ, & veritatis Deo gratias.

## P R E C E S

## V E S P E R T I N Æ.

In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen.

Benedicta sit Sancta, & individua Trinitas, nunc, & semper, & per infinita saecula saeculorum. Amen.

Pater noster. Ave Maria. Credo, &c.

*Confessio antequam decumbat.*

**C**onfiteor tibi Domine Deus omnipotens, Creator cœli, & terræ, omnia peccata mea, quæcunque feci ab infantia mea usque in hanc horam scienter, vel igno-

ignoranter ; & præsertim , quæ commisi  
hodie factis , verbis , cogitationibus , &  
omissionibus adversus tuam Divinam vo-  
luntatem. Tibi Domine soli confiteor ex  
corde , & peto veniam , quia peccata mea  
innumerabilia sunt : & supplico humili-  
mè , ut obliviscaris omnium peccatorum  
meorum , quorumcunque me nōsti reum  
in omni vita mea. Accende etiam in me  
ignem tuæ charitatis , & timoris ; & con-  
cede mihi ferventem emendationem to-  
tius vitæ meæ cum vera spe , fide & cha-  
ritate : ô clemens ! ô pie ! ô dulcis JESU  
Fili Mariæ ! Amen.

### *Oratio , dum itur cubitum.*

O JESU dulcissime ! JESU Pater dile-  
ctissime ! tu mecum , quælo , mane-  
as , hac nocte mecum dormias ; ut cor-  
pus somnum capiat , & nunquam cor od-  
dormiat ; sed semper tecum vigilet ; te  
mente , & corde cupiat ; præfertum ab-  
sens videat , quô malum omne caveat :  
me Angelus custodiat , & signo Crucis  
munit ; hinc Sathan procul fugiat , &  
JESUS solus maneat : quos amo , tecum  
colligas , in lecto cordis foveas , nec me ,  
nec

nec illos deseras, sed benedicens protegas, & in ævum custodias. Amen.

### *Alia Oratio.*

**G**ratias tibi ago Domine Sancte Pater omnipotens æterne Deus, qui me indignum famulum tuum N. nullis meis meritis, sed sanctissimâ gratiâ custodire dignatus es in hac die. Depreco clementiam tuam misericordissime Deus, ut concedas mihi venturam noctem mundo corde, & casto corpore sic pertransire, quatenus manè surgens gratum tibi valeam obsequium servitutis exhibere. Per Dominum nostrum JESUM Christum Filium tuum, qui tecum vivit, & regnat in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

**T**E lucis ante terminum  
Rerum Creator poscimus,  
Ut pro tua clementia,  
Sis præful, & custodia.  
Procul recedant somnia,  
Et noctum phantasmata;  
Hostemque nostrum comprime,  
Ne polluantur corpora.

Præsta

Præsta Pater piissime,  
 Patrique compar Unice,  
 Cum Spiritu Paraclyto,  
 Regnans per omne sæculum. Am.

*Antiph.* Salva nos Domine vigilantes,  
 custodi nos dormientes, ut vigilemus  
 cum Christo, & requiescamus in pace.

V. Custodi nos Domine, ut pupillam o-  
 culi:

R. Sub umbra alarum tuarum protege  
 nos.

## O R E M U S.

**V**isita, quæsumus Domine, habitati-  
 onem istam, & omnes insidias ini-  
 mici ab ea longè repelle: Angeli tui San-  
 eti habitent in ea, qui nos in pace custo-  
 diant; & benedictio tua sit super nos  
 semper.

Da nobis, quæsumus, noctem pla-  
 cidam: & præsta; ut transactō spatiō te-  
 nebrarum in laudibus tuis dies beata suc-  
 cedat. Per Christum Dominum nostrum.

*Oratio pro felici morte,*  
*ter dicenda.*

**D**omine JESU! per amaritudinem tu-  
 am, quam sustinuisti in Cruce,  
 D d quando

quando benedicta anima tua de corpore  
egrediebatur, miserere animæ meæ in  
egressu suo. Amen.

Pater noster, &c.

## ITINERARIUM.

*Antiph.* In viam pacis.

*CANTICUM ZACHARIAE, Luc. 29.*

**B**enedictus Dominus Deus Israël : quia  
visitavit, & fecit redēptionem ple-  
bis suæ.

Et erexit cornu salutis nobis : in do-  
mo David pueri sui.

Sicut locutus est per os Sanctorum :  
qui à sæculo sunt Prophetarum ejus.

Salutem ex inimicis nostris : & de  
manu omnium, qui oderunt nos.

Ad faciendam misericordiam cum  
Patribus nostris : & memorari testamenti  
sui sancti.

Jusjurandum, quod juravit ad Abra-  
ham Patrem nostrum : daturum se nobis.

Ut sinè timore de manu inimicorum  
nostrorum liberati : serviamus illi.

In sanctitate, & justitia coram ipso :  
omnibus diebus nostris,

Et

Et tu Puer Propheta Altissimi vocaberis: præibus enim ante faciem Domini parare vias ejus.

Ad dandam scientiam salutis plebi ejus: in remissionem peccatorum eorum.

Per viscera misericordiæ Dei nostri: in quibus visitavit nos oriens ex alto.

Illminare his, qui in tenebris, & in umbra mortis sedent: ad dirigendos pedes nostros in viam pacis.

Gloria Patri, & Filio, & spiritui Sancto: sicut erat in principio, & nunc, & semper, & in sæcula sæculorum. Am.

*Antiph.* In viam pacis, & prosperitatis dirigat nos omnipotens, & misericors Dominus, & Angelus Raphaël comitetur tecum (vel nobiscum) in via, ut cum pace, salute, & gaudio revertamur ad propria.

Kyrie eleison, Christe eleison, Kyrie eleison. Pater noster, &c. *secreto.*

¶. Salvos fac servos tuos:

¶. Deus meus sperantes in te.

¶. Mitte nobis Domine auxilium de Sancto:

¶. Et de Sion tuere nos.

¶. Esto nobis Domine turris fortitudinis:

- R. A facie inimici.  
 V. Nihil proficiat inimicus in nobis:  
 R. Et filius iniquitatis non apponat noce-  
     re nobis.  
 V. Benedictus Dominus die quotidie:  
 R. Prosperum iter faciat nobis Deus fa-  
     lutarium nostrorum.  
 V. Vias tuas Domine demonstra nobis:  
 R. Et semitas tuas edoce nos.  
 V. Utinam dirigantur viæ nostræ:  
 R. Ad custodiendas justifications tuas.  
 V. Erunt prava in directa:  
 R. Et aspera in vias planas.  
 V. Angelis suis Deus mandavit de te:  
 R. Ut custodiant te in omnibus viis tuis.  
 V. Domine exaudi orationem meam:  
 R. Et clamor meus ad te veniat.

## OREMUS.

**D**EUS, qui filios Israël per maris me-  
 dium siccō vestigio transire fecisti,  
 quique tribus Magis iter ad te stellâ duce  
 pandisti: tribue nobis, quæsumus, iter  
 prosperum, tempisque tranquillum, ut  
 Angelo tuo Sancto comite, ad eum, quod  
 pergimus locum, ac demum ad æternæ  
 salutis portum pervenire feliciter valea-  
 mus.

Deus,

**D**EUS, qui Abraham puerum tuum de Ur Caldaeorum eductum, per omnes suæ peregrinationis vias illæsum custodivisti: quæsumus; ut nos famulos tuos custodire digneris: esto nobis Domine in procinetu suffragium, in via solatium, in æstu umbraculum, in pluvia, & frigore tegumentum, in lassitudine vehiculum, in adversitate præsidium, in lubrico baculus; in naufragio portus; ut te Duce, quò tendimus, prosperè perveniamus; & demum incolumes ad propria redeamus.

**A**Desto, quæsumus, Domine supplicationibus nostris, & viam famulorum tuorum in salutis tuæ prosperitate disponere; ut inter omnes viæ, & vitæ hujus varietates, tuò semper protegamur auxiliô.

**P**rœsta, quæsumus, omnipotens Deus; ut familia tua per viam salutis incedat, & Beati Joannis præcursoris hortamenta sectando, ad eum, quem prædictixit, secura perveniat. Per Dominum nostrum JESUM Christum Filium tuum, qui tecum vivit, & regnat in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

**V.** Procedamus in pace:  
**R.** In nomine Domini. Amen.

Gabriel cum M A R I A , Raphaël  
 cum Tobia , & Sanctus Michaël cum to-  
 ta cœlestia Curia , comitentur nobiscum  
 in via.

### O R A T I O .

**S**Acro - sanctæ , & individuæ Trinitati ,  
 Crucifixi Domini nostri JESU Chri-  
 sti humanitati , Beatissimæ , & gloriosissi-  
 mæ , sempérque Virginis MARIÆ fœ-  
 cundæ integritati , & omnium Sancto-  
 rum universitati , sit sempiterna laus ,  
 honor , virtus , & gloria , ab omni crea-  
 tura , nobisque remissio omnium pecca-  
 torum , per infinita sæcula sæculorum .  
**R.** Amen.

- V.** Beata viscera Mariæ Virginis , quæ  
 portaverunt æterni Patris Filium :  
**R.** Et beata ubera , quæ lactaverunt  
 Christum Dominum .

Pater noster. Ave Maria.

OFFI-

## OFFICIVM PARVUM.

PRO

## DEFUNCTIS.

AD MATUTINUM.

**D**omine JESU Christe, Rex Gloriæ,  
libera animas omnium fidelium De-  
functorum de pœnis inferni , & de pro-  
fundو lacu ; libera eas de ore leonis ,  
ne absorbeat eas tartarus , ne cadant in  
obscurum : sed signifer Sanctus Michaël  
repræsentet eas in lucem sanctam , quam  
olim Abrahæ promisisti , & semini ejus.

Fidelium animæ per misericordiam  
Dei requiescant in pace.

**O** Vos fideles animæ  
In Christo Defunctorum !  
Sed meritò prohibitæ  
Ab aditu Cœlorum ,  
Quàm vellem vobis dexteram ,  
Opémque præsentare ,  
Ut hinc ad Cœli gloriam  
Possitis evolare.

*Antiph.* Illuminare his , qui in tene-  
bris , & in umbra mortis sedent ; ad diri-  
gendos pedes nostros in viam pacis .

*X.* Si iniquitates observaris Domine :  
*B.* Domine quis sustinebit.

ORE-

## OREMUS.

**F**idelium Deus omnium Conditor, &  
Redemptor animabus famulorum, famularumque tuarum remissionem cunctorum tribue peccatorum; ut indulgentiam, quam semper optaverunt, piis supplicationibus consequantur. Qui vivis,  
& regnas in saecula saeculorum. Amen.

¶. Requiem æternam dona eis Domine:

¶. Et lux perpetua luceat eis.

¶. Requiescant in pace: R. Amen.

## AD PRIMAM.

Fidelium animæ per misericordiam  
Dei requiescant in pace.

**O** Magne Pater Domine  
Misericordiarum!

Facturas tuas respice;

Sed iminemor irarum.

Pœnas sunt quidem meritæ,

Te tamen non negarunt:

Hinc locus sit clementia,

Ignosce, quod peccarunt.

*Antiph.* Illuminare his, qui in tenebris, &c. cum oratione, ut supra.

## AD TERTIAM.

Fidelium animæ per misericordiam  
Dei requiescant in pace. O

**O** JEsu clementissime !  
**O** optime Salvator !  
**Tuo** redemptis Sangvine  
 Sis mitis liberator.  
**Indulge** te amantibus  
 Tuam benignitatem ;  
**Poenamque** deprecantibus  
 Ostende bonitatem.

*Antiph.* Illuminare his, qui in tenebris, &c. cum oratione, *ut supra*.

**AD SEXTAM.**

Fidelium animæ per misericordiam  
 Dei requiescant in pace.

**O** Consolator optime !  
**O** dulcis Paraclete !  
 Hos tu desertos respice,  
 Et indigos quiete :  
 In æstu hoc temperiem ,  
 Veræque pacis bona ,  
 Et post laborem, requiem  
 Æternam iis dona.

*Antiph.* Illuminare his, qui in tenebris, &c. cum oratione, *ut supra*.

**AD NONAM.**

Fidelium animæ per misericordiam  
 Dei requiescant in pace.

**O** Dulcis Mater gratiæ,  
Solatrix afflictorum!  
Vim cohibe justitiæ,  
Rigorem tormentorum.  
Flammam voracem tempera,  
Et mitiga dolores;  
Incendium refrigera,  
Et fini hos angores.

*Antiph.* Illuminare his, qui in tenebris, &c. cum oratione, *ut supra*.

### *AD VESPERAS.*

Fidelium animæ per misericordiam  
Dei requiescant in pace.

**V**Os Tutelares Genii,  
Quorum sunt hi Clientes;  
Quantum vestri subsidii  
Sunt ipsi indigentes,  
Piorum desideria  
Est vestrum excitare,  
Optata refrigeria  
Clientibus curare.

*Antiph.* Illuminare his, qui in tenebris, &c. cum oratione, *at supra*.

### *AD COMPLETORIUM.*

Fidelium animæ per misericordiam  
Dei requiescant in pace.

**V**Os omnes quoquè Cœlites,  
In regno triumphante,

So-

Solamini hos milites  
 In flamma hac purgante:  
 Vestri in terris socii,  
 Cùm fuerint laborum,  
 Nunc, & beati otii  
 Sors vocat, & bonorum.

*Antiph.* Illuminare his, qui in tenebris, &c. cùm oratione, *ut suprà.*

*Oblatio.*

**O** Fons misericordiæ,  
 Summaque bonitatis,  
 Pro sint piorum lacrymæ  
 Hoc igne cruciatis.  
 Locum tuæ justitiæ  
 Agnoscimus infernum:  
 Laudes tuæ clementiæ  
 Hi cantent in æternum.

**V.** Requiem æternam dona eis Domine:  
**R.** Et lux perpetua luceat eis.  
**V.** Requiescant in pace: **R.** Amen.

**LITANIAE**  
PRO**FIDELIBVS DEFVNCTIS.**

<b>K</b> yrie eleison,	<b>C</b> hriste eleison,
<b>K</b> yrie eleison.	
<b>C</b> hriste audi nos,	<b>C</b> hriste exaudi nos.
	Pater

Pater de Cœlis Deus, Miserere nobis.  
 Filius Redemptor mundi Deus, Miserere nobis.

Spiritus Sancte Deus, Miserere nobis.  
 Sancta Trinitas unus Deus, Miserere nobis.

Sancta Maria, Ora pro Fidelibus Defunctis.

Sancta Dei Genitrix, Ora pro Fidelibus Defunctis.

Omnes Sancti Angeli, & Archangeli, Orate pro Fidelibus Defunctis.

Omnes Sancti Beatorum Spirituum Ordines, Orate pro Fidelibus Defunctis.

S. Joannes Baptista, Ora pro Fidelibus Defunctis.

Omnes Sancti Patriarchæ, & Prophetæ, Orate pro fidelibus Defunctis.

S. Petre, Ora pro Fidelibus Defunctis.

S. Paule, Ora pro Fidelibus Defunctis.

Omnes Sancti Apostoli, & Evangelistæ, Orate pro Fidelibus Defunctis.

S. Stephane, Ora pro Fidelibus Defunctis.

S. Laurenti, Ora pro Fidelibus Defunctis.

Omnes Sancti Martyres, Orate pro Fidelibus Defunctis.

S. Gregori, Ora pro Fidelibus Defunctis.

S. Am-

- S. Ambrosi, Ora pro Fidelibus Defunctis.  
 S. Augustine, Ora pro Fidelibus Defunctis.  
 Omnes Sancti Pontifices, & Confessores,  
     Orate pro Fidelibus Defunctis.  
 Omnes Sancti Doctores, Orate pro Fide-  
     libus Defunctis.  
 Omnes Sancti Sacerdotes, & Levitæ, O-  
     rate pro Fidelibus Defunctis.  
 Omnes Sancti Monachi, & Eremitæ, O-  
     rate pro Fidelibus Defunctis.  
 S. Maria Magdalena, Ora pro Fidelibus  
     Defunctis.  
 S. Catharina, Ora pro Fidelibus Defunctis.  
 S. Barbara, Ora pro Fidelibus Defunctis.  
 Omnes Sanctæ Virgines, & Vidiæ, Ora-  
     te pro Fidelibus Defunctis.  
 Omnes Sancti, & Sanctæ Dei, Intercedi-  
     te pro eis.  
 Propitius esto, Parce eis Domine.  
 Propitius esto, Exaudi eos Domine.  
 Ab omni malo,  
 Ab ira tua,  
 A rigore justitiæ tuæ,  
 A potestate Diaboli,  
 A rodente verme conscientiæ,  
 A diuturna tristitia,  
 A crudelibus flammis,

Ab

Liberat eos Domine.

Ab intolerabili frigore,  
Ab horrendis tenebris,  
A terribili planctu, & ejulatu,  
Per admirabilem Conceptionem tuam.  
Per sanctam Nativitatem tuam,  
Per dulcissimum nomen tuum,  
Per Baptismum, & sanctum jejunium  
tuum,  
Per profundissimam humilitatem tuam  
Per promptam obedientiam tuam,  
Per infinitum amorem tuum,  
Per angores, & molestias tuas,  
Per sanguineum sudorem tuum,  
Per captivitatem tuam,  
Per flagellationem tuam,  
Per coronationem tuam,  
Per bajulationem Crucis tuae,  
Per amaram mortem tuam,  
Per sanctissima vulnera tua,  
Per Crucem, & acerbissimam Passio-  
nein tuam,  
Per sanctam Resurrectionem tuam,  
Per admirabilem Ascensionem tuam,  
Per adventum Spiritus Sancti Para-  
In die judicii, (cliti,  
Peccatores, Te rogamus audi  
Qui Mariam absolvisti, & Latronem  
audisti, Te rogamus audi nos.

*Libera eos Domine.*

Qui salvandos salvas gratis,  
 Qui claves habes mortis, & inferni,  
 Ut parentes, propinquos, & benefac-  
 tores nostros à poenis inferni  
 eripere digneris,  
 Ut omnes fideles Defunctos ab æterna  
     damnatione liberare digneris,  
 Ut illorum, quorum specialis in ter-  
     ra memoria non habetur, misere-  
     ri digneris;  
 Ut eis omnibus parcere, & indulge-  
     re digneris,  
 Ut desideria ipsorum adimplere di-  
     gneris,  
 Ut in Electorum consortium eos re-  
     cipere digneris,  
 Rex tremendæ Majestatis,  
 Fili Dei.  
 Agnus Dei, qui tollis peccata mundi,  
     Dona eis requiem.  
 Agnus Dei, qui tollis peccata mundi,  
     Dona eis requiem.  
 Agnus Dei, qui tollis peccata mundi,  
     Dona eis requiem sempiternam.  
 Christe audi nos, Christe exaudi nos.  
 Kyrie eleison, Christe eleison,  
 Kyrie eleison. Pater noster.

Te rogamus audi nos,

- ¶. A porta inferi :  
 ¶. Erue Domine animas eorum.  
 ¶. Domine exaudi orationem meam :  
 ¶. Et clamor meus ad te veniat.

## OREMUS.

**A**Nimabus, quæsumus Domine, famularum, famularumque tuarum misericordiam concede perpetuam; ut eis proficiat in æternum, quod in te speraverunt, & crediderunt. Per Dominum nostrum JEsum Christum Filium tuum, qui tecum vivit, & regnat in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

- ¶. Requiescant in pace. ¶. Amen.

*Invocatio Sanctorum pro Defunctis.*

**O**Vos Sancti Angeli, omnésque Electi Dei, subvenite animabus Fidelium Defunctorum: succurre præ cæteris, tuumque benedictum Filium illis ostende, ô clemens! ô pia! ô dulcis Virgo Maria! Am.

**D**Ies iræ, dies illa,  
 Solvet sæclum in favilla,  
 Teste David cum Sybilla.

Quantus tremor est futurus,  
 Quando Judex est venturus,  
 Contra strixè discussurus.

Tuba

Tuba mirum spargens sonum  
 Per sepulchra regionum,  
 Coget omnes ante Thronum.  
 Mors stupebit, & natura,  
 Cùm resurget creatura,  
 Judicanti responsura.

**P**er scriptus proferetur,  
 In quo totum continetur,  
 Unde mundus judicetur.

Judex ergo cùm sedebit,  
 Quidquid latet, apparebit,  
 Nil inultum remanebit.

Quid sum miser tunc dicturus,  
 Quem Patronum rogaturus?  
 Cum vix justus sit securus.

Rex tremendæ Majestatis,  
 Qui salvandos salvas gratis,  
 Salva me fons pietatis.

Recordare JEsu pie,  
 Quod sim causa tuæ viæ,  
 Ne me perdas illa die.

Quærens me sedisti lassus,  
 Redemisti Crucem passus,  
 Tantus labor non sit cassus!

Juste Judex ultiōnis,  
 Donum fac remissionis,  
 Ante diem rationis.

In gemisco tanquam reus,  
Culpâ rubet vultus meus;  
Supplicanti parce Deus.

Qui Mariam absolvisti,  
Et Latronem exaudisti;  
Mihi quoquè spem dedisti.

Preces meæ non sunt dignæ,  
Sed tu bonus fac benignè.  
Ne perenni cremer igne.

Inter oves locum præsta,  
Et ab hædis me sequestra,  
Statuens in parte dextra,  
Confutatis maledictis,  
Flammis acribus addictis,  
Voca me cum Benedictis.

Oro supplex, & acclinis,  
Cor contritum quasi cinis,  
Gere curam mei finis.

Lacrymosa dies illa,  
Quâ resurget ex favilla  
Judicandus homo reus,

Huic ergo parce Deus,  
Pie JESU Domine,  
Dona eis requiem.

A M E N.



IN-

# I N D E X

	{ moribundi.	fol. 384
Affectus	{ S. Ignatii S Francisci Xaverii.	373 378
	{ Xaveriani Amoris.	379
Antiphona	{ ad S Cajetanum. Stella maris.	247 114
Commendatio sui	{ ad S. Angelum Custo- dem. Christo JEsu.	15 292
Conformatio voluntatis nostræ cum Divi- na , tempore morbi.		385
Cultus	{ S. Crucis. Venerabilis Sacramenti. S. Joannis Nepomuceni. SS. Patronorum R. H. SS. Societatis JEsu.	298 286 333 338 336
Ejaculatoria ægrotantium.		384
Evangelium S. Joannis.		413

*I N D E X.*

Gemitus	Doloris.	54
	Amoris.	71
Hebdomas Marianas.		94
Hymnus	Ave Maris Stella.	184
	ad S. Angelum Custod.	13
	de S. Trinitate.	136
	de Spiritu Sancto.	37
	Sancti Ambrosii.	135
	de S. Josepho.	239
	ad S. Anton. de Pad.	244
	ad S. Franciscum Serap.	243
	ad S. Franciscum Xav.	248
	ad S. Georgium.	250
	ad S. Rochum.	251
	ad S. Sebastianum.	253
de S. Rosalia.	254	
ad S. Barbaram.	256	
de S. Lucia.	259	
ad S. Apolloniam.	260	
de S. Maria Magdalena.	261	
Innocentii III. Ave m.	230	
Dies iræ, dies illa.	432	
ad S. Stephanum.	338	
ad S. Ladislaus.	340	
ad S. Emericum.	341	
ad S. Adalbertum Ep.	342	
ad S. Joannem Elemos.	343	

Hym-

I N D E X.

	ad S. Martinum Episc.	344
Hymnus	ad S. Henricum Imp.	346
	Te lucis ante term.	416
Ignieulus amoris erga B V.M.		226
Invocatio SS. pro defunctis.		432
Itinerarium.		418
	de nomine JESU.	18
	Omnium Sanctorum.	41
	de Venerab. Sacramento.	292
	Vitæ, & Passionis Christi.	306
Litaniae	Lauretanæ.	204
	pro Fidelibus Defunctis.	427
	de S. Juda Thaddæo.	359
	ad S. Ignatium F. S. J.	366
	ad S. Franciscum Xaver.	374
Meditationes de Passione Domini.		315
Modus examinandi conscientiam, & con-		
fitendi.		381
	de Vener. Sacramento.	286
	Sanctæ Crucis.	298
	Immaculatæ Concept.	195
	magnum B. V. Mariæ.	116
Officium	parvum B. V. Mariæ.	194
	de S. Antonio.	325
	de S. Joanne Nepomuc.	333
	parvum Defunctorum.	423
	de S. Juda Thaddæo.	349

INDEX.

ad Deum.	22
ad JESUM.	24 25
ante Missam.	16
Praeterea Missæ Officiō.	17
ad Spiritum S. pro remissione peccatorum.	76
pro variis donis à Deo impetrā- dis.	3
in afflictione.	76
ad B. V. Mariam, tempore tri- bulationis.	80
P. Canisii, pro pauperibus, & miseris.	82
<b>Oratio</b>	
Tempore belli.	83
pro inimicis nostris.	84
pro communibus Reip. Christia- næ necessitatibus.	85
ad S. Josephum, pro felici mor- te impetranda.	242
ad S. Joannem Nepomuc.	263
ad S. Antonium de Padua.	266
ad S. Judam Thad.	274 364
ad S. Disnam.	274
ad S. Benedictum.	276
ad S. Laurentium.	276
ad S. Michaëlem Archang.	277
ad S. Sigismundum Reg.	278
ad S.	

Medicina Contra Febres, Grandes  
Quanas

Alma Padamis  
Alma Padam  
Alma Paran  
Alma Pada  
Alma Pad  
Alma Pa  
Alma P.  
Alma  
Alm  
Alf  
Ct.